

*Juvante Altissimi Gratia!*

Ex

DECRETO & AUTORITATE  
INCLYTÆ FACULT. MEDICÆ VIADRINÆ,  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

*De*

# MANIA,

*PRÆSIDE*  
DECANO SPECTABILI

**DN. IRENÆO VEHR,**

Med. D. & Prof. Publ. Primariò longè celeberri-  
mô, Archiatrô Regiô & Electorali Prussi-Bran-  
denburgicô dignissimô, Facultatis suæ  
Seniore gravissimô,

*Domino Patrono & Promotore colendissimo,*

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE  
CAPESSENDI,

Publicè & solenniter

*Ad Diem Aprilis Anni MDCCI.*

In Auditorio Majori, Horis Ante- & Pomeridianis,  
ventilandam sistit

**JOH. HAUBOLDUS**

*Großmann / Pirnâ Misnicus.*

Psychiatr.

22, 44.

*Urti ad Viadrum, Literis Christoph. Zeitleri.*

*Morb. pcc. 81.*

EGYPTISCHE

MONUMENTA

IN SECHZIG BANDEN

BEZOGEN AUF ALTE ÄGYPTISCHE

MONUMENTE UND AUSGEWÄHLTE

ARCHAEOLOGISCHE LITERATUR.

VERGEGENSTÄNDLICHET

ALTE ÄGYPTISCHE


MONUMENTA

IN SECHZIG BANDEN

BEZOGEN AUF ALTE ÄGYPTISCHE

MONUMENTE UND AUSGEWÄHLTE

ARCHAEOLOGISCHE LITERATUR.



## PRÆFATIO.



Um omnium quidem morborum, infirmam (ex flebili Protoplastorum lapsu) humani corpusculi Machinam, agmine velut factō, invadentium, molestus mortalibus sensus sit: tum maximē ab iis offendimur omnes, omnibusque adeo votis, & meritō, eos declinamus, quibuscum acerbus aliquis conjunctus dolor animum vehementer afflit & excruciat. At vero miseria, me judice, major, graviorque ab illis morbis homini calamitas est, qui humanos eum mores omnino exuere cogunt, atque ad Brutorum non tantum ratione carentium, sed & immanium subinde Ferarum conditionem, plenum illud rationis & consilii Animal abjiciunt. Quos sicuti ardentibus plane precibus lachrymisque non falsis amoliri à se, quotquot sapiunt, satagunt: ita in iisdem tum præcaven-

A 2

dis

## PRÆFATIO.

dis, tum profligandis, viros sese præstare, gnavamque in primis in eō operam locare, ut, exacte (quantum licet) cognitâ ejusmodi Affectuum essentiâ & origine, insanâ mente laborantibus amisam divina Dotis nobilitatem, h. e. exutam humanitatem atque venustatem, quantociùs restituere queant, ( dicente disertissimô CHRISTIANO LANGIO, in Not. & Animadv. ad JOH. PETR. FABRI Pathol. Spagyr. c. 17.) morborum, qui PLINIO dicuntur Medici, Artifices, omnium opinor sententiâ, convenit. Unde mihi spes est, haud improbatum iri cordatis institutum meum; dum Disputatione Inaugurali, à Gratiosissimâ Facultate Medicâ mihi injunctâ, more jam pridem receptô, defuncturus, princeps penè inter hujus generis Mala, quod MANIAM plerique cum *Aureliano* vocant, argumentum illius constituo. Cumque salus adeo Proximi, magis quam difficultas laboris, ( neque enim, quod HELMONTIUS Tr. Ment. Complet. §. 5. commode scripsit, *in hoc itinere multas occurrere salebras, nescius sum*) mihi in oculis sit, & per eam ad majorem DEI gloriam collimem; nec dubitare quidem de Di- vino auxilio, nec intermittere interim, Christianæ pietatis memor, devotum sustineo suspirium: JO- VA JUVA!

DISPU-

\* \* \*


DISPUTATIONIS INAUGURALIS  
MEDICÆ

DE MANIA

PARS PRIOR,

*Hypotheses Physio-Pathologicas continens.*

§. I.

Ametsi nec pauca, nec indigna scitu, de Nomine MANIÆ, ejusque potissimum tum Derivatione variâ, tum Significatio- ne diversâ, nec non multiplicibus Deri- vatis, notanda mihi occurrant : Attamen, cum succinctâ tractatione expedire hoc Thēma animo constitutum sit, à commemoratione talium sciens volensque me abstineo. Atque adeò ipsam illicò Rem, receptō more, Definitione expli- candam aggredior : dummodo indicium ante ali- quod, tum celebriorum aliquot *Autorum*, qui in hâc parte laborarunt, atq; inservire hujus Doctrinæ cupi- dis possunt ; tum præcipuorum quorundam *Synonymo- rum*, amovendæ ambiguitatis causâ meritò cognoscen- dorum, fecero. Illi funto, NICOLAUS FLORENTINUS, *Serm. III. Tr. II. Summ. V. c. 6. p. m. 69. b. DON. ANTON. AB ALTOMARI, de medend. Hum. Corp. mal. Part. I., c. 8., p. m. 59.* DOM. LEONUS LUNENSIS, *Art. Medend. Human. Partic. morb., L. II. Sect. I. C. IX. p. m. 183. JOH. HEURNIUS de Morb. Cap. XII.*

A 3 p. m.

p. m. 145. & seq. HENRICUS PETRÆUS, *Nosolog Harmon.*  
**L. I. Dissert. III. §. 2.3. 4. & 7.** GUERNER. ROLFINCCIUS,  
*Meth. cognosc. & cur. Adf. partic. Capit., Dissert. V. p. 1. & 2.*  
*ut & Ord. & Method. cognosc. & cur. Maniam, Jenæ Ao. 1666.,*  
*Respond. pro Lic. JOH. WILH. FAUSTO, edit. C. II. JOH. AN-*  
*TONID. van der LINDEN, Select. Med. Exerc. X. §. 208.*  
*JACOBUS TAPPIUS, Dissertat. de Funct. Sens. intern. lesion.,*  
*C. VII. §. 2. ac 5. LAUR. STRAUSSNUS, Palæstr. Med. Part. I.,*  
*Gymnasm. XI., Th. 2. p. 187.* Hæc sunt, apud Græcos  
 passim, η Μανιη η μανια; & speciatim apud HIPPOCRATEM,  
 alias (testibus etiam Anut. FOESIO in Oecon. Hippoc. p. m.  
 396. & PETRÆO l. c. §. 3.) nempe Aphorif. XX. & XXII.  
 Sect. III., nec non L. I. Epidem. Sect. II. vers. 102., τὰ μανικά;  
 (subintellige, monente GALENO Comment. ad Aphorism.  
 XXII. Sect. III., πάθη η νοσήματα; quemadmodum in  
 Prorreh. Text. II. versicul. XII. subintelligere sub eodem  
 adjectivo τὰ σημεῖα, ipse contextus jubet: Is qui etiam  
 in Prognost. Text. IV. versic. 4. & in Coac. prænot. Text.  
 II. versic. 151, absolutè μανικὸν καὶ Θανατῶθες η Θανάσιμον,  
 pro σημείον μανικὸν καὶ Θανατῶθες η Θανασιμόν, dixisse Co-  
 um, facile ostendit:) Alias, si NICOL. PISONI L. i. de  
 morb. cognosc. & cur. c. 24. credimus, ἔκσασις; alioqui ta-  
 men, uti Aph. V. Sect. VII., Maniae contradistincta. Qui-  
 bus proinde voculis affinia verba, nempe μανῆναι καὶ  
 ἐκμανῆναι, item ἐκῆναι καὶ ἐξισεῖ, eadem fere significa-  
 tione, quâ τὸ μαίνεσθ, (unde Manias natales pleriq; pro-  
 babilissime arcessunt) usurpari passim à magno Artis  
 Præceptore, atq; sic idem ei ac furere, insanire, Ma-  
 nia ac furore corripi, cō affligi vel percitum esse, no-  
 tare; ex GALENI Comment. III. in L. III. Epidem. ipsisq;  
*Hippocraticis Locis* non temere asserunt, tum JOH. GOR-  
 RÆUS

RÆUS, *Definit.* Med. p. 128. voce ἔκσυσις, tum FOESIUS,  
*Oeconom.* cit. p. 192. eādem voce, nec non p. 480., vo-  
cibus ὁργοτην & ὁργάρχειν. Quarum illi cognatum  
verbūm ὁργόψαι vel ὁργότειν, quod propriè est  
cudere monetam falsam, utut sæpiùs de iis, usurpetur, qui  
per morbos mente non admodū vehementer moven-  
tur; propterea quod *cudunt verba*, nummorum instar  
valentia, *præter rationem*, & aliena à rebus: simili sæpè  
sensu in Hellade adhiberi, uti à jam dictis Scriptoribus  
(vide vero GORRÆUM *Definit.* p. 358. voce ὁργόψαι)  
indicatum, ita confirmatum est ab ante nominatō  
LINDENIO, *Select. Medic. Exercit. XII.*: quando, doctissi-  
mum in hoc verbum commentarium, inde à §. 164.  
ad 172., scribens, in hæc deniq; verba definit: *Sæpè et-*  
*iam τὸ ὁργότειν significat id, quo gravius accidere*  
*homini non potest: τὸ μάνια, inquam, insanire, sive,*  
*ut CELSUS loquitur l. III. C. 18., animo desipere & con-*  
*filiō falli ac furere.* Apud *Latinos*, in specie apud  
Latinissimum CICERONEM, *Furor ac Insania*, quasi *Insanitas* (quæ antiqua vox est, indice LAURENBERGIO *An-*  
*tiquar.* p. 233.) & *Ægritudo animi*: apud HORATTIUM *Ra-*  
*bies*: apud PLAUTUM *Intemperia*, uti HADRIANUS  
JUNIUS in *Nomenclat.* p. 296. habet; Vel, prouti in plerisq;  
Codicibus PLAUTINIS legitur, *Intemperiae*: Nisi, cum  
LAURENBERGIO l. c. p. 236., *Intemperias per animi angores*  
& *impotentes motus exponere quis*, aut, cum BUCHNERO  
in *Fabro* p. m. 2369., per wütende böse Geister oder Teuf-  
fel interpretari idem vocamen malit. Apud *Ger-*  
*manos*, die Toll-oder Dollheit / die Unsinnigkeit simpli-  
citer, quasi κατ ἐξοχήν; vel, uti QUEITSCHUS C. 13. l. 1.  
Prax. sua, commode, distinctionis ergò, loquitur,  
die

die Clauſen- oder Ketten-Unſinnigkeit / (weil man / ut ibid. §. 1. ſcribit, ſolche Leute an Ketten und in Clauſen oſte ſiſzen ſiehet / ) die Raspern / die Wahnsucht oder Wahniwigkeit / der Aberwitz und die Tobsucht. Ita enim rectius, quam, quod apud PARACELSUM & alios ſubinde legas, die Taubſucht ſcribi existimo; cum procul dubio origo vocis huj9 ſit à verbo tobent / i. e. wüten oder grimmen vel ergrimmen: Sicuti in BIBL.GERM. *Antiqu.*, Halberſt. 1522. impressis, verba initialia Psalm. II. Quare fremuerunt Gentes &c., quæ LUTHERUS vertit: Warumb toben die Henden? ſic expressa leguntur: Warumme grimmēden de Lüde? &c. Apud Belgias, indice iterum JUNIO in *Nomenclat. l.c.*, de Verwoethent/ Rasperne: Eodemq; asserete, apud Gallos, la Rage, la Fureur & la Furie: Apud Italos autem Furiosita, Furore & Furia. . Quorū quidem aliqua ambigui etiam ſensus eſſe minimē nego.

§. 2. Definitio autem cum, judiciō Logicorum, quò brevior eſt, (in necessariis non deficiens) eò melior ſit; placet, ad mentem ſupra laudati LINDENII, *Meletemat. Medic. Hipp. Part. III. §. 60.*, paucis definire Maniam: quod ſit *INSANIA FURIOSA*.

§. 3. Ubi per *Insaniam*, cum modō dictō accurratissimō Virō, intelligi velim *Delirium Febris expers*; ſive, à quo febris abeft. Cui adeſt enim, hoc *Amentia* & illi & mihi; Species autem hujus nobis gemina eſt, *Phrenitis* & *Paraphrenitis*: quarum altera & prior Febrim coniunctam habet; altera & posterior Febrī adjuncta eſt. *Deliriō* quamvis omnis aliàs aberratio & recessus à *lirā* seu rectō rationis (*Liram* enim, docentibus, ex *NONIO* aliisq; *Rei rustica Scriptoribus*, Philologorum filiis, Veteres propriè vocabant ſive *Sulcum*, ſive

sive *Fos̄am rectam*, quæ contra agros tuendos ducitur, & in quam uligo terræ decurrit: Unde delirantes primitus dicti sunt ruricolæ, qui à rectō, in agris aut inter agros ductō, sulcō inter arandum deflexerunt. Confer. *Dissert. Inang. de Delir. ex Ventr. sub EXCELL. DN. PRÆSIDE Año. 1682. habit. §. I.*) eodem significetur, *Dementiam* jam designo, sive *Desipientiam continuam*. *Dementiā* vero non *Mentis* adeò ipsius *perversionem*, quām *Imaginationis* potissimum *Depravationem*, quā *Rationis* usus tantum impeditur & cohabetur, indicatum eo. Cui adjecta *Vox continua*, non longiore rem tantum, sed & graviorem ac vehementiorem eandem insinuat.

§. 4. Quibus perspectis, cum facile dispalescat, *Maniam* non à *Phrenitide* tantum & *Paraphrenitide*, ratione Febris, in his præsentis, in ipsâ absens; sed & à *Paraphrosyne* communiter, aut rectius, (si Joh. ARGENTERIUM *Comment. in Aphor. II. Sect. II. p. m. 1105. sequamur*) *Taraxi* sive *Perturbatione*, dictâ, nempe *Desipientia* leviore & breviore, ratione Durationis & Vehementiæ, ipsi conjunctæ, diversam existere: Ut amplius à *Melancholiâ*, quæ & ipsa *Insaniam*, sive *Delirii* magni citra Febrim infesti, Species quædam est, distincta eadem habeatur, cupit vox altera *Definitio*nis, *FURIOSA*. Quippe quæcum *Furore* conjunctam hanc *Insaniam* intimat. *Furor* autem, præter cogitationes tumultuarias, partim insignem ferociam in gestibus, partim temerariam audaciam in conatibus, partiū importunum impetum in sermonibus æqvè ac actionibus, tantum non omnibus, notat. *Consentient enim* (verbis utor STRAUSII in *Palæstra Med. p. 189.*) *in hoc ornes, quod Maniaci cum furore & audaciâ delirent,*

B

adeo

adèò, ut neq; in risu illorum truculentia exulet; & cum sapere etiam velle videntur, temeritas tamen apertè desipiat: perindè ut recepta fere ab omnibus sententia est; Melancholiā esse, si tristis Insania fuerit, & intra verba potissimum, & cum Timore ac Metu.

§. 5. Nec *Insania* verò, nec *Furoris* idem in omnibus Modus, eademque ubique tum vehementia, tum ratio reliqua est. Unde in describendis *Maniacorum* Moribus mirè variare *Pathologi* advertuntur. Longum foret ire per singulos, commemoranda tamen ex aliquibus aliqua. Si NICOLAUM utrumque, FLORENTINUM & PISONEM, ut & D. A. ab ALTOMARI cum LEONE LUNENSI, locis §. 1. indicatis, audiamus; atq; ex iis, qui propius tempora nostra contingunt, ROLLFINCIUM O. & M. cogn. & cur. Man. c. 3., JOH. MICH. ETTMÜLLERUM in Colleg. Pract. p. m. 961. Tom. II., JOH. HISC. CARDILUCIUM in Officin. Sanit. p. m. 74., aliosq; conferamus: Patientes *Maniam* nihil ferè non eorum, quæ apprehendunt, disrumpunt & diffingunt; In lectos, stramina & vincula sæviunt, vestimenta sua & pannos divellunt, lacerant, abjiciunt, aut incongruè aptant: publicè in plateis nudi incedunt, faciunt stultitiás, ascendunt tresses aut alia loca alta; clamant, & se concionatores arbitrantur: per fenestras exsiliunt, in puteos & foveas se præcipitant: extra propositum loqvuntur, & nonnunquam integras horas continuò blaterant; sed meras gerras, adeò ut inter mille verba vix unum aut alterū intelligi, neq; quid dicant comprehendi possit: Mordent aut verberant quemcunq; propèstantem, & impedientes gravioribus convitiis ac contumeliis laceſſunt: prosternunt se in terram, & cæno seipſos aliosq; fœdant, induſia

indusia permerdant, propria stercora devorant: Et quamvis non rarò furorem occultent, blandos ac humanos se simulantes, insidiosè tamen eundem exercere intendunt. Quidam hilares sunt & assiduô dissolutòq; risu distinentur, cantant, tibicines aut alios Musicos se audire putant. Quidam maximè semper iracundi, temerarii, percuslores, in seipso aliquosq; injuriosi sunt; adeò, ut propriam quandoq; carnem degustent, se ipsos, nisi custodiantur, jugulent, suspendant, aut aliter lädant: & domesticos velut infidiatores oderint, ungibus lanient, vulnerent & occidant: Deniq; ferarum more effrenes evadant, aut etiam eos, qui imprudentius ipsis occurruunt, manu violentâ tractent. Aliquando agnoscunt bene meritos, obediunt monentibus, blandiuntur, tripudiant, indagantur ut canes, neq; quid quærant sciunt. Rursus quidam tristes & taciturni, loqui aliquando adversantur; aliquando, cum loqui incipiunt, et si diu locuti fuerint, silere iterum nequeunt; neq; sedere etiam denuò possunt, si moveantur vel surgant: Qvos qvoq; ubi aliqua moliuntur & agunt, non facile sedare & dimovere licet ab opinionibus cœptisq; suis; tenaces qvippe tum propositi, tum litis cum aliis forte susceptæ, ejusdemq; memores. Aliqui iræ & furori risum miscent: alii timorem eum furore vel risu mixtum testantur. Hi verentur, ne in lacunas aut speluncas incident; & pleriq; Custodes suos, aliosq; audaci fronte & manu ipsis occurrentes, metuunt. Nonnulli luxuriem & libidinem verbis factisq;, omni pudore remotô, produnt: delectantur verbis operationibus & actibus pertinentibus ad coitum; & applaudunt atq; sedantur, quando co-

ram ipsis dicuntur vel tractantur pertinentia ad Venerem & luxuriam. Quin etiam interdum aliqui futura narrant, & loquuntur variis Linguis, vel Latinè vel Græcè; quamvis hujusmodi idiomata nunquam dicerint. Quin imò, juxta ARETÆUM de diuturn. Aff. l. i. c. 6., μυρίου sunt τῆς μανίας ἐιδέαν οὐκεὶ τρόποι: quodque WILH. FABRICIUS HILDAN., Observ. Chirurg. Cent. IV. Observ. IX, rectè scripsit, nempe *inter centum Maniacos aḡ, ac Melancholicos vix unum alteri similem esse*, suò id Experientia calculò haud difficulter comprobat attenteribus. Ut nesciam, an latitudinem rei exhauiat HERCULES SAXONIA Pract. Medic. L. i. c. 17.? cum quadruplex hujus Delirii genus ibidem facit: Unum cum Rixâ; quod ab AVICENNA Daemonium Lupinum appellari perhibet: secundum cum Rixa & Joco; quale propriè illud esse inquit, quod ARETÆUS l. c. describit, cum reperire quosdam Insanos scribit, qui perpetuò coronati, aut hederâ aut aliâ quâdam herbâ & floribus, vagantur per urbes, semper ridentes: tertium mixtum cum Rixa & Risi; cui ex eô, quod patientes istud, modò percutiāt alios, modò saltent & rideant, Nomen Insania canina dedisse dictum AVICENNAM docet: quartum cum studio, quod vocari ait, & in quô homines (mulieres in specie,) præter propriam naturam, ingeniosissimos, artificesq; in suâ arte excellentissimos, evadere tradit; „quandoquidem, quod addit, isti sic patientes uno eodemq; modo semper se habent, sunt assidui in studiis, „propriis artibus incumbunt: Præterquam, quod de secundo quartog, genere haud temerè quis dubitare possit, an huc pertineat? Non obstante, quod utriusq; Delirii, nempe & illius, quod μετὰ γέλωνς i. e. cum risu, & istius, quod μετά αγώνης i. e. cum studio fit, mentionem

tionem jam tum fecerit doctissimus HIPPOCRATES,  
*Aph. 53. Sect. VI.*; quippe, aliter planè ductu clarissimo-  
rum Interpretum, explicandus. Cæterum AVICEN-  
NÆ illud, in quod digitum SAXONIA intendit, Do-  
gma, de *Dæmonio Lupino & Insania Caninâ*, velut dupli-  
Maniæ Specie, intuitu insignis illius, quam innuo,  
τὰ μανὸμενων, quâ Insaniam furiosam, diversitatis, jam  
pridem constitutâ, confirmatum simul & illustratum  
habere licet, tum per ea, quæ ipse ABEN SINA *L. III.*  
*Fen. I. Tract. IV. c. 15.* exhibuit: tum magis per ista,  
quæ à NICOLAO FLORENTINO *l. c. non longè à principio*  
*c. 6.*, & à LEONO LUNENSI *l. alleg.*, nec non à GUIL-  
HELMO RONDELETIO *Meth. cur. morb. l. i. c. 43. p. m. 233.*,  
ut & HIERONYMO MERCURIALI. *Med. templ. l. i. c. 17.*  
tradita, atq; apud LEONUM his ferè verbis exposita  
sunt. *Duplex est Mania, Lupina scilicet, que Lycaon seu*  
*Lycanthropia dicitur, & Canina.* Differunt inter se hæ spe-  
cies in accidentibus, sicut *Lupus & Canis*. *Lupus enim, ul-*  
*travорacitatem & rapacitatem insidiosam, dæmoniacâ pra-*  
*vitate præditus est, neq; unquam cicuratur, neq; cum ipso*  
*fidam consuetudinem homo habere potest.* At *Canis*, quam-  
vis latret & insidietur hominibus, eosq; aliquando mordeat,  
attamen agnoscit de se bene meritos, illis blanditur & se fi-  
delem præstat. *Illum igitur Maniacum, qui mores Luporum*  
*imitatur, laborare Lycanthropiâ dicimus; utpote, quia instar*  
*Lupi abhorret hominum societatem, fugit, latitat, insidia-*  
*tur, percutit & interficit, si potest.* Ille vero, qui, ut *Ca-*  
*nis, ex quavis levi causa rixatur, & provocatus insilit in la-*  
*cessentem, mordet, percutitq; aliquando saltat, ridet, tri-*  
*pudiat, blanditur, obedit, agnoscit amicos & bene merentes,*  
*eorumq; societatem & consuetudinem exoptat, Maniâ ca-*  
*ninâ laborare dicitur.* Quibus interim ne quis addu-  
catur

catur ad credendum, quod credere SAXONIA l. c. vetat; nempe *Dæmonium lupinum* AVICENNÆ & Maniam *Lupinam*, (quam *Lycaonis* nomine etiam ab AETIO notatam novimus) idem esse cum *Lycanthropia* ejusdem Arabis: tenere non tantum ex eōpse Scriptore juabit, quod *Lycanthropia* AVICENNÆ idem affectus cum ejusdem *Cucubuth*, atq; adeò Melancholia potius quædam quam Maniā, inq; eò, à *Lupinō illius Dæmonio* [five latè, pro Mania, in genere; five strictè, pro eâ, quæ *Canina*, uti dictum, contradistincta est, specie, accepto: nam utrōq; modō sumi *Nicolaus* ille, quem jam aliquoties dixi, FLORENTIUS docet] distincta sit: quod, cum patientes Dæmonium hoc non vereantur adspectum hominum, nec vagentur noctu, sed inter diu; in illâ homines consuetudinem ceterorum fugiant, in latebris & circa sepulchra degant, noctu tantum vagantes, ac quandoq; in alios injurii, colore plerumq; fusci, oculos squalentes & crura perpetuis ulceribus referta habentes: Sed & conferre proderit, quæ tum ab ipsô *Arabum Medicorum Principe* l. a. c. 21. de *Chatrab*, tum rursus à NICOLAO FLORENTINO l. c. c. 8. de *Cututub.*, tum ab A. D. de ALTOMARI loc. nom. c. 9. p. m. 65. τοις λυκαινθρωπίας, nec non ab ARNALD. VILLANOVARO de Part. Operat. p. m. 271. Oper. illius, de Cicubo adducta sunt. Poterunt quin etiam, ne *Dæmoniaca* quoq; quæ dicitur, *Lycanthropia* cum alterutrâ aut utrâq; jam indicatâ confundatur, videri, quæ DAN. SENNERTUS Institut. L. II. P. 3. Sect. I. c. 7. p. m. 323. tradidit; quævè apud GUERN. ROLLFINCIUM Diss. 1. de Affec. Capit. Partic. p. 15., & Cap. 15., Ord. & Meth. Cogn. & Cur. Man. occurruunt. Quicquid Cl. Autore, aliisq; vestigia ejus prementibus haud obscuris Viris, quam-

quamvis facile, quoad *Differentias Maniae à Genere*, ut  
ait, sive à Deliriis furiosi multiplici illō, quem hīc loquor,  
modō, *petitas conspirem*: atq; adeo *Continuam ali-*  
*quam*, aut continuō æstu ferocentem; aliam *In-*  
*terpolatam*, sive lucida, ut vulgò dici solet, inter-  
valla, eaque vel certa, (dum Paroxysmi Furoris  
statō tempore revertuntur & recedunt; non secus  
ac stigma Cerasi vel Mori in fœtu, juxta HELMONTI-  
UM *Tr. Demens Idea inscripto t. 37*, quotannis viret, fla-  
vet, rubet, pallet & penē evanescit:) vel incerta ha-  
bentem: *Fortem* deinde aliam, in quā neq; precibus  
neq; minis nec verberibus in officiō contineri furen-  
tes queunt; aliam *Mitem*, ubi omnia remissiora sunt:  
Rursus *Communem* aliam, nempe quæ degenera-  
tionem ab humanâ indole non adeō ingentem  
involvit; aliam *Ferinam* (quæ θηριώδης Græcè  
appellatur) sive cum ferinis moribus conjunctam,  
lubens agnoscam: Neque verò invitus inter-  
Species hujus, tum *Lupinam* quandam, tum *Ca-*  
*ninam*, ex Veteri, quam tetigi, doctrinâ, sub λυ-  
κανθρωπίας & κυνανθρωπίας appellationibus, admittam:  
Attamen, quemadmodum haud incongruè *Hydropho-*  
*biam*, quæ *insanus aquæ timer* LINDENIO, *Lib. III. Melet.*  
*Med. Hipp. §. 107*, imò omnium liquidorum metus est,  
ipse (ROLLFINCIUS) his adstituit: Ita & *Orchestromaniam*  
& *Orgomaniam* & *Oenomaniam*, quas pariter LINDENIUS  
l. c. dicit; quatenus scil. *hæc* quidem insanum vini bir-  
bendi appetitum, *ista* parilem erga quoscunque &  
quācunque occasione emergentem Iram, *illa* similem  
saltandi choreasque ducendi libidinem, (quam *S. Viti*  
*Choream*, aut *Saltum* vocarunt, qui ejus invocatione  
ægros liberari superstitione crediderunt) notat: *Gelo-*  
*maniam* quin etiam, sive insanam in risu immodesti-  
am;

am; & *Galeanthropiam*, sive felinam, aut felinos mores imitantem Insaniam; (qualem Puellæ cujusdam, quæ sangvine Felis hauftô, naturam animalis illius ex intervallo ita induit, ut, quod ipsum in ædibus sollet, id illa voce, saltu, gestu, atque murium adeò in silentio venatione, imitaretur, *WEINRICHUS de Monstr.* C. 15. commemorat:) & *Capnomaniam*, sive fumi Tabacini captandi incessabile desiderium; (cuiusmodi in Maniaco quadam ab Excell. Dn. PRÆSIDE aliquando observatum accepi:) & *Aphrodisiomaniam*, sive continuam in Rebus Venereis occupationem, atque insatiabilem subinde συνεστασις cum altero sexu cupidinem; (quarum Exempla ex *VALERIOLA*, *LEONO*, *HORSTIO*, infra adducuntur:) & *Mantomaniam*, sive furorem futura & abscondita revelantem; & *Glossomaniam*, i. e. eundem, cum peregrinarum, ad quas ægri nunquam instituti sunt, Lingvarum usu conjunctum; (Potest enim & eō sensu vocamen hoc usurpari, quō alioqui delirum eorum institutum, qui materna lingue amore *vesano capti malunt non intelligi in conversatione civili*, quam peregrinis in sermone vocibus uti, quantumvis *receptis*, signavit, *Loc. Selector. jam supra §. 1. cit.*, idem non sine sale in *Medic. Physiologica L. II. c. 6. §. 36. p. m. 148.* perstringens, aliquoties dictus *LINDENIUS*: pluresque alias Species, quales tum ante allegatorum Autorum loca, tum Observationes circa Maniacos quotidie occurrentes, facile suggerunt, iisdem recte adjici posse existimaverim. De quibus omnibus interim distinetè h. l. tractare instituti mei non est.

§. 6. Atque eum quidem in modum *Formali* jam, atque *Differentiali* etiam aliquō, Maniæ *Conceptu* exposito, quemadmodum *Disensus* ex unâ parte meus,  
par-

partim ab iis, qui vel omnem ipsam, quatenus talis est, non sine febre esse volunt; (uti volunt PAUL. AMMANNUS in Parænesi p. 187. §. 8., & JOH. BROEN, *Anmadvers. Medic. in Heinr. Regii Prax. Medic. ad mentem Theod. Craanen accommodat.*, p. m. 148. lit. i., & 152. lit. d. Is qui LAZ. RIVERIUM quoque, quem tamen *Prax. Med. l. 1. c. 13.* Maniam, ratione propriæ essentiæ, febre carere velle, licet nihil impedire dicat, quin febris cum Mania complicari posuit, alii afferunt, in partes vocat; eumque *febrim, quam in Phrenitide symptomaticam facit, in Mania essentialē & Primigeniam dicere,* refert: Ipse non acutam quidem continuam, quam in Phrenitide afferit; sed cum lucidis intervallis intermittentem magisq; lentam, h̄ic adesse statuens:) vel aliquam sine febre existentem concedentes, aliquam interim & plurimam cum febre, sed quæ, propter æqualitatem caloris per universum corpus diffūti, non percipiatur neq; molesta sit, necessariò evenire ajunt: (uti ait JACOB. TAPPIUS, loc. §. 1. cit., §. 13. & 14. p. 172. & 173.:) Partim ab illis, qui Maniam & Melancholiā parum aut nihil differre putant; (uti putant cum TRALLIANO, *nihil aliud esse Maniam, quam intensionem quandam Melancholie,* censente, Veterum quidem multi: Recentiorum autem, quotquot J. P. FABRO, idem l.c. afferenti, adstipulantur; aut ETMÜLLERI, in hanc opinionem plane propendentis, & in *Coleg. Pract. p. m. 963.*, Maniam expressè *summum deliriorum Melancholicorum gradum, ac magis crudelem Melancholie speciem* vocantis, vestigia legunt:) Ex alterā autem parte consensum, non tantum cum iis, qui Maniacos, quā tales, minime febricitare docent; (uti, præter jam dictos & alios forte paucos, omnes fere,

C

post

*Disputat. Inauguralis Medica,*  
 post GALENUM, clarè satis 2. de Caus. Sympt. C. ult., &  
*Comm. 2. in lib. I. Epid.*, item *Comm. 3. in Lib. 3. Epid.*, ut &  
*Comm. 1. in Prorrhēt.* alibiq; pasim id profitentem,  
 nec aliud 3. de Loe. affect. c. 7. affirmantem, neq; ideo,  
 vel propter Practicorum etiam concussions, defen-  
 sione quorundam, per τὸ ἐπὶ τὸ πολὺ, i. e. ut plurimum,  
 cuius CASP. HOFMANNUS *Instit. l. 3. §. 3.* meminit, o-  
 pus habentem; aliosq; Græcos, nempe C. AURELIA-  
 NUM l. 1. χρονίων c. 5., atq; ARETÆUM l. 1. *de diuturnis c. 6.*,  
 docent: Non negantes interim, Febrim variam cum  
 Mania accidentaliter, ita tamen, ut non symptomatica,  
 (scribente PETRÆO l. c. §. 8.,) sed primigenia sit,  
 complicari; eademq; furiosos interdum, sed ex aliâ,  
 sicut CARDILUCIUS l. c. p. 74. docet, ac non eâ, qvæ  
 Maniam gignere solet, Causâ, corripi posse: Qvem-  
 admodum EUSTACHIUS RUDIUS, l. 1. *de Human. Corp.*  
*Aff. C. 4. fol. 28.*, Exempla qvædam, à ROLLFINCI,  
*Diff. V. de Cap. Aff. p. 5.*, inter rationes pro & contra  
 hoc dogma allatas, hasq; confutatas, repetita, in eam  
 rem attulit: Nec tamen, si febris accesserit, Manie  
 nomē cum Phrenitidis appellatione, prout NIC. PISO l. c.  
 p. 183. persuadere vult, commutantes:) Sed & cum  
 his, qui Maniam cum Melancholiā, qvatenūs non affe-  
 ctionem modò, aliis dictam, Melancholicam, cum pertur-  
 batione tantum aliquâ conjunctam, sed & superveni-  
 ens eidem manifestum Delirium, (quæ duo alias probè  
 distinguenda esse, facile concedo monenti, imò in-  
 canticanti id ipsum, J. M. ETTMÜLLERO, *Colleg. Pract. p.*  
*en. 946.*) denotat, minimè confundendam dictitant;  
 (uti, non sine ratione, dictitant PETRÆUS l. c. § 4., SEN-  
 NERTUS *Med. Pract. C. 1. Part. 2. c. 15. p. m. 410.*, C. HOFFM.  
*Instit. l. c. §. 2.*, aliiq; etiam ex recentioribus, plures,) nullō

nullō negotiō elucescit: Ita, qvæ *remotiora* huic Affectioni Genera, nostro arbitratu, competant; atq; adeò, quō loco inter *Res*, communiter dictas, *Præternaturales* earumq; Species, habendus sit? haud difficile est asseqvi. Etenim commemoratâ §. 3., atq; ve ita, ut *Mentis*, quā proprias ipsi functiones, perversio hinc removeatur, assertâ *Imaginationis Depravatione*; promptè jam colligas: Esse eum *tertii*, quod *Pathologia Generalis* asserit, *generis* nempe *Symptomatum*: Esseq; *Symptoma prima*, quæ vulgo habetur, *Clasfis*; scilicet *Actionis* vel *functionis*: *Functionis* nimirum *Animalis*, speciatim *Sensus interni*, specialius *Phantasia lœsa*. Dissensum quin etiam rursus nostrum, ulterius posthac apparitum, ab eorum placitis, qui *Rationis* aut *Ratiocinationis* tam *imminuta* quam *depravata* *Symptomata* quædam facientes, hisce Maniam subordinant, (nisi eâ ratione quâ ETTMÜLLERUS Colleg. Pract. p. 931. & 932. mentem suam expresit, aut STRAUSSIUS, in Palest. Med. p. 118. ex ROLLFINCIO & BRUNONE suam indicavit, se explicit, ) simul advertas: Atq; illud insuper intelligas; quod in eam adeò sententiam, quæ *Principum*, quas vocant, *Facultatum* aut *Functionum Læsione*, ac speciatim *Depravatione*, vel simplici vel vehementi & continuâ, formalem mali hujus rationem exprimere sustinet: Inq; eam itidem, quæ *Læsione* dictarum *Principum Functionum Memoriae* quoq; quandam *turbationem* & *imminutionem* complectitur: non propendeam. Tametsi hanc quidem Maniæ subinde adjungi, aut eam consequi, non negem; vi eorum, quæ inferius dicentur.

§. 7. Jam verò in *Symptomatum censum* relatâ Maniâ, proximum est, ut de *Morbo* dispiciam, à

quō proximē Symptoma hoc, velut à Corpore Umbra, pendet. Eaq; prior meritò, quām de *Materia in quā*, quæ Subiectum communiter dicitur, mihi cura est; ideo, quod, per ipsa rudimenta doctrinæ Pathologicæ, non Symptomatum adeò, quām Morborum Subjecta esse & investiganda esse, notum certumq; sit. Quō in negotiō si ad explicandas aliorum sententias animum applicem, vereor, ne prolixus nimis, nimiæ earundem varietatis causâ, esse cogar. Quare, missis aliorum placitis, meum in primis illud eorum facio, qui tumultuosum & inordinatum, vel impetuosum & irregularē *Spiritus Animalis*, in *Cerebro* in primis hospitantis, Motum, immediate post se, uti alia, ita & hoc Delirii genus trahere asserunt. Estq; proinde, stante hâc hypothesi, Morbus ille, ad quem Mania necessariò sequitur, juxta Principia LINDENIANA, in *Med. Patholog. Libr. 3. Meletem. Med. Hipp. §. 14. 34. & 60.* tradita, respectu Subiecti qvidem *Spiritalis*; respectu Organisationis, *Similaris* sive *Materiaturæ*; speciatim *Motionis*, sive fundamentum habens in motu: specialiūs *Concitatio*, excessum in motu atq; adeò, respectu vitii, superamentum sive *πλεονεκτηνα* inferens: specialissime *Thymalgia* quædam, sive perturbatio animi aut animalis *Spiritus*; ejusdem & motionem & commotionem inordinatam involvens, tūm vehe mens tūm continens. Quandoquidem verò *άταξιας* hujus, (quō nomine aliàs passim Morbus modò designatus appellatur) ea conditio est, ut *Morbis Symptomaticis* (de qvibus LINDENIUS l. c. §. 129. habet) accensi velit: ideo *ἄκρασία* ferè *Spiritus* dicti Animalis protinus eidem adstitui advertas. In quā verò explicandâ quām diversa diversi afferant, cum paucis

paucis exponi non possit, absit ut meam hanc operam jam faciam. Mei quin potius animi sensa breviter expositurus; quamvis à veteri & receptissimâ Scholarum doctrinâ, Igneam Spirituum Animalium dispositionem, sive accensionem eorum hîc accusante, adeò non alienum me profitear, ut haud ægrè, eandem, tanquam antiquissimis Hippocraticis principiis conformem, neq; cum illis Recentiorum, quas de Spiritus Animalis naturâ & conditione tenent, Opinionibus adeò pugnantem, (siquidem eò maximè modô, quem Joh. GODOFR. BERGERUS, *Diss. Med. de Mania*, Lips. Anno 1685. pro loco habitâ, ostendit, explicetur) cum Paracelsicis autem aliorumve Chymicorum hypothesibus (quibus, vel Mercurius sublimatus & in Calcem, citramen Sulphuris impuri sive nitrosi, ut in Phrenitide fieri dicunt, inflammationem, reverberatus, atq; in aquam fortissimam solutus; vel Excrementum alimenti nostri retoridum, calidum & siccum, Spiritum vita nostræ animalemq; Cerebri inflammans, hûc asciscitur: uti videre est apud ROLLFINCIUM *Diss. V. de Cap. Aff. Partic. pag. II.*, P. J. FABRUM *Univers. Sap. Lib. 3. c. 17. p. m. 235*, STRAUSSUM l. c. p. m. 193., PETRÆUM l. c. §. 26. & 30.: quæve WILLISIANUM illud, de salino-sulphureâ & Aquæ Stygia emulâ Spirituum Animalium dispositione, Dogma, fusiùs ab ipsô in *Tract. de Anim. Brut. Part. 2. C. 12.* explicatum, peperisse, doctè suspicatur jam dictus STRAUSSIUS: juxta eundem, æq; ac laudatum ROLLFINCIUM & PETRÆUM, nec non CHRIST. LANGIUM in *Not. ad FABRI l. c.*; facilè conciliabilem, atq; nullô ideo suo meritô multis hodie exosam, plerisq; in casibus rem expedire posse, largiar: *Acrasia* vel (quomodo pariter aliquibus audit) *Discrasia* Spiritus animalis *Infectionem*

C 3

ejusdem

ejusdem substituo : qvæ & ipsa nomen suum inter *Morbos Spiritus similares*, sed illos, qui *Substantia* sive *Materiæ*, quippe ex alienitate materiæ Spiritum constituentis resultantes, dicuntur apud LINDENIUM *Meletem. l. c. §. 60.*, profitetur.

§. 8. *Infectio* autem (ut verbis iterum LINDENIANIS, atq; iis potius, quæ loc. jam alleg., quam quæ in *Colleg. casual.*, non ita pridem à ROSINO LENTILIO *Miscell. Med. Pract. P. 3.* publicatō, sub resol. *Hist. 7. p. 205.*, quodammodo, me judice, corrupta leguntur, dicenda dicam) est *Tinctura Spiritus*. Qui quidem *tinctus* illiq; mihiq; dicitur, cum rei se *afficienti* quoad *speciem tantum est assimilatus*. Ea species, si inducta brevi & levi erit, quasi *Fucatio* est: Si altè desendit & diu sedit, quasi *Coloratio* est: quam, præ illâ, hîc acceptare jubet Maniæ deinceps commemoranda pertinacia. Hanc quisquis rectius animo comprehendere, atq; distinctam ab illa cognoscere cupit, lucis opinor non parum accipiet, si *Disput. ante cit. de Delir. ex Ventr. §. 12.* videat: quippe ubi notabili similitudine *Tincturæ Mechanicæ*, quâ *Lana*, vel *nuda* vel in *pannum* contexta, imbutitur, ductu ipsiusmet LINDENII, res declaratur. Nec repugnaverim verò magnoperè, si, in certis & plerumq; incurabilibus Maniæ casibus, *Infectio*ni *Perversionem* ipsam (quæ altera species *Morbi*, inter *Spiritales*, *substantiæ*, nempe illius quam alienitas materiæ facit, ab eodem *Pathologo l. c. statuta est*) quis surrogare velit. *Perversione* autem (pergo cum LINDENIO) est *alienatio Spiritus*, puta hîc *animalis*. Is verò alienatus est, cum rei se *affidenti* quoad *naturam ipsam est assimilatus*. Quomodo assimilat fibi Spiritum quodvis *Venenum spirituale*. Nempe optum natum penetrare in recepta-

receptacula ejusdem, receptumq; illius finu, vel in occulto serpere, vel ex aperto invadere: Interim, dum διαλύεται ηγετευματος i. e. rarescit & spiritescit; non tam sese in spiritum animalem penitus induens, quam in suam ipsum substantiam transformans Cujusmodi cum duplex ferè existat; aliud & plerumq; foris subiens, aliud intus ortum: indeq; duplex *Perversione*, altera *Contagies*, nempe à venenō adventitiō, cum ambiente aëre admisso, aut cum assumtis, cibō, potu, medicinis acceptō, aut morsu, ictu, affrictu ingestō; altera *Pernicies*, nempe ab eōdem vernaculō, sive nasci intra corpus humanum aptō, profecta; ab AUTORE allegato statuatur: possit, per me, utramq; qvis amplecti; atq; in sententiæ suæ confirmationem, parata habere non pauca eorum, quæ *Dissert. Inaug. de Delir.*, Ano. 1681. Erfurt. edit., tradidit Just. HEINR. MANGOLDT §. 11. & seqq.

§. 9. Cujus vestigia, si quis etiam in determinatione *Subjecti* sequi, atque, exclusâ Mente sive Animâ Rationali, *Sensitivam* tantum *Animam* hīc affectam esse, (quod & HELMONTIUS putavit,) affirmare velit: dummodò eādem, quâ ille, ratione rem exponat; non longè, existimo, à januâ veritatis aberrabit: neq; nostræ etiam sententiæ, juxta quam, (remotâ pariter *Divina* illâ auræ particulâ, depravari à corporibus & stultescere nesciâ; nempe diviniore, immateriali inorganico & immortali Spiritu: qvippe quem non magis hīc lædi aut mutari crediderim, quam aërem, quô aqua premitur, in aliis atq; aliis Machinæ cujusdam Hydro aulicæ vitiis:) *Primarium* & *Proximum* Maniæ *Subjectum* materialem Animalem Spiritum constitui, me etiam non monente, ex dictis  
jam

jam innotescit, adeò adversabitur. Huj9 verò illustrandæ gratiâ, etsi ἀπροσδιόνυσον haud fore sciam, siquidem, quæ de Naturâ & Conditione Spiritus Animalis probabilissimè hodie tenentur, ex Physiologicis, hûc adferam: Ingredi tamen hunc campum, brevitatis causâ, nolo. Sed in eam rem consulendos Lectori WILLI-  
SIUM, BOHNUM, ETTMÜLLERUM, STURMIUM, WE-  
DELIUM, VATERUM aliosq; Recentiorum, locis cuiq;  
ferè notis, neq; ideo prolixè citandis, commendo. BER-  
GERUM quin etiam addo, in *Disput. ante cit. de Mania.*  
§. 4. usq; ad 9., meritò videndum: quocum quippè  
in primis sentio, atq; (ut liberè, ipsius exemplô, sed  
tribus tantum verbis, quod in re arduâ placet, dicâ,) in  
certâ lucidarum Spiritus vitalis particularum, cum puris-  
simâ aëreâ Cerebri lymphâ, contemperatione, fundatam esse  
Spiritus animalis hypostasin, hactenùs teneo.

§. 10. Cum Primarium & Proximum Subiectum  
Spiritum Animalem nuncupo, Secundarium aliud &  
Remotum dari, simul indico. Quod ut statim appare-  
at, atq; omnis pariter, quæ de Subiecto quocunq; hîc te-  
nenda est, Doctrina distinctè tradatur, breviter eam  
sic complector. Habet Mania primò Subiectum *ut*  
*quod* appellatum, alias *representativum* dictum: cuius  
notionem sustinet qvivis Æger Maniacus. Talem ve-  
rò sæpiùs ex suô genere, luridi ferè coloris extenua-  
tosq; Cholericos, qvibus Viscera, præsertim Cordis  
& Hepatis calentq; arentq; ve, quam Obesos, Poda-  
gricos, (acido plerumq; abundantes) & algentes  
Phlegmaticos, dare; ex GORDONIO, NICOL. FLOREN-  
TINUS, atq; LEONUS item LUNENSIS l. c.: sæpiùs item  
ex suâ ætate Juvenes, quam Senes, præsertim  
vetulas, (quamvis Mulieribus alioqui non mi-  
nus

nusquam viris, familiare esse hoc malum, experi-  
entiâ freti, dicant MARTIANUS l. 6. Aph. 21., & ROLFIN-  
CIUS Disput. V. de Morb. Cap. p. 11.) præbere, ex C. AU-  
RELIANI l. 1. χρονιων c. 5., varii prodiderunt. Est deinde  
ut quô, sive *Substantivum*; idemq; geminum. Alterum  
totale, quod *absolutum* quoq; dicunt: alterum *partiale*,  
alias *limitatum* appellari solitum. *Totale* afflictâ Cor-  
poris affecti machina: *Partiale* iterum duplex; nem-  
pe & *Locus* & *Focus* est. *Locus*, partem à Morbis,  
quos jam nominavimus, primariis proximè affectam  
signans, est *Spiritus*, ceu ante diximus, *animalis*: aut,  
si mavis, unâ cum ipsô, ipsius tûm officina, tûm fons,  
hospitium & sedes, *Cerebrum*. Τάτω γδ φρουρμεν καὶ νοεμεν,  
καὶ βλέπομεν, καὶ ακόμεν, καὶ γνώσκομεν ταῦτα αἰχθα καὶ καλῶ.  
Τῶ δὲ αὐτῶ ταῦτα καὶ μανόμεδα καὶ ὡργαφρονέομεν. i. e. Hac  
parte enim sapimus & intelligimus, & videmus & audi-  
mus, & turpiâ & honestâ cognoscimus. Ea ipsâ parte &  
insanimus & deliramus: dicente & docente HIPPOCRA-  
TE Lib. de morb. sacro. Idem verò & *Focus* se subindè  
præstat, alias *Subjectum causale* vocatum. (Ita enim  
appellari Pathologis consuevit latebra materiæ mor-  
bificæ, scatebra affectionis, nidus affidentis, atq;  
adeò sedes ejus super quô fundatur & à quô conti-  
netur Affectus.) *Quod* cum fit, *Idiopathicam* &  
*Essentialē* dicere Maniam moris est: Utique diverso  
*Deuteropathicam* aut *Sympathicam* vel *Consensualem* vo-  
care solent, cum causa Delirii hujus alibi fovetur..  
Nempe aut à *Masjâ Sanguineâ*; & tûm per *Consensum*  
totius fieri vulgo Mania dicitur: aut à *Ventriculo* &  
eidem connexâ *Intestinali fistulâ*, atq; huic adhærente  
*Mesenterio*, nec non sitis subter *Hypochondria Visceribus*;  
undè *Hypochondriaca* quædam *Mania* habetur: aut ab

D

Utero

*Utero & Genitalibus aliis utriusq; Sexus Partibus; undē Furor Uterinus & Nymphomania aliqua audit: aut à Corde etiam, illō Communi Corporis, ut MAURITIO HOFFMANNO scitè dicitur, *Famulo*: quod semper quidem hīc, & similiter atq; ipsum Cerebrū, affici ROLLFINCRIS O. & M. cognos. & cur. Man. C. V.; CASPARUS autem HOFFMANNUS etiam præ illō atq; adeò laborare, ut *omnis Mania reverà sit Imtempries calida & sicca Cordis, sed non eousque, ut Febris sit, Lib. III. Instit. C. 37. §. 3.* censuit: aut ab aliâ quādām parte. Variis enim his & aliis Locis bullulare id, quod Spiritum Animalem inficit, ipsa ulterior *Aἰτιολογία* (partem enim hujus jam prælibavi) facile ostendet.*

§. II. Ad quām proinde protinus accedens, Duo in primis Genera *Rerum* Spiritum Animalem *infici-entium*, sive ita afficientium, ut quoad speciem quidem tantūm, sed quæ altè descendit & diu sedere potens est, istis assimiletur, (quod *colorari* supra dixi) constituo. Alterum earum, *que foris accedunt*; alterum *intus nascentium*: Quæ utræq; validiore operatione Venenorum vim præstare possunt; ceu pariter in superioribus indicavi. Unde *Differentia* statim illa *Causalis*, à TAPPIO l. c. §. 13., p. m. 172. inculcata, quā Mania alia à *Causis internis*, alia ab *externis* orta, statuitur, resultat.

§. 12. *Foris accedentes* & peregrinam Spiritui Animali speciem, *immediatè* quasi primūm, (licet postea etiam *mediatè*, per Effectus in aliis, tūm contentis tūm continentibus, Partibus successivè productos, operantur) induentes *Res*, sunt vel *Assumptæ*, vel *Ingestæ* aut *Admissæ*. Ex *assumptis* potissimum hīc accusanda veniunt, tūm *Vegetabilia* quædam, tum *Animalis Generis*

neris aliqua; inter Venena alioqui computari solita.  
 Nempe ex illis *Solanum* in primis, ab hōc ipsō, quem  
 præstat, effectu *Maniacum* sive *Furiosum*, Græ-  
 cisq; jam pridē Στρυχόνια μανικόν dictum: quā Radicem pa-  
 riter suam, ( de quā vide ETTMÜLLERUM in Colleg.  
*Practic.* p. 963. &, quem citat, BARTHOLETUM de *Respi-  
 ratione* l. 5. c. 5. p. 105.; ut & J. R. CAMERARIUM, *Syllog.  
 Memorab. Medicin. Cent. III. Part. 53.* ) & quā *Baccas*:  
 ( De quibus, præter jam dictum *CAMERARIUM* l. c. *partic.  
 14.*, vid. JOH. JAC. WEPFERUM *Tr. de Cicut. Aquat.*  
 p. 227. & seqq., & STRAUSSIUM l. c. p. m. 196., hujusq; o-  
 perā auctum, ad quem ipse Lectorem remittit, SCHEN-  
 CKIUM *Observat. L. VII. p. 883.*, nec non *Eph. Germ. Cur.  
 Observ. 118. Ann. X. Dec. II.*: ) Sicuti singulari *Tractatu*  
 ideò *Strychnomania* inscriptō, in quō alioquin omnia,  
 quæ de hāc Plantā recensenda forent, præclare, ju-  
 diciō laudati WEPFERI, relata sunr, docuit JOH. MATH.  
 FABER *Physic. Heilbronnensis.* Deinde *Hyoscyamus*, i.e.  
*Faba suilla* sive, ut corruptè Officinis passim audit,  
*Jusquiamus*: Præsertim, juxta *GALENUM*, *Niger* à semi-  
 ne dictus, subpurplei floris; &, juxta *DIOSCORIDEM*  
*l. 4. de Mat. Medic. C. m. 59*, alter quoq; melini floris  
*seminisque subflavi*. Ex eādem procul dubio causā, ei-  
 dem *Maniāθης* pronunciatus: aliàs autem *Grajis ευμα-*  
*ρες*, & Διθυράμβιον, *ZOROASTRI TUΩΛΙΟΝ*, ( siquidem tu-  
 φωνια etiam *Delirium furiosum* significat ) aliquibus  
 πυθωνιον, nonnullis ipsa *Mania*; atq; aliàs, apud La-  
 tinos potius, ( *trahit enim*, teste *SCRIBONIO LARGO c. 49.  
 Composit. 187.*, inde hoc nomen Herba, quod bibentes  
 ipsam ) cum quādam verborum altercatione, mente  
 abalienentur ) quām ( quod PLINIUS l. 25. c. 4. vult )  
 apud Arabes, *Altercum* vel *Altercangenum*; Germanis  
 D 2 verò

verò Toll-Kraut / & quibusdam quoq; juxta JAN. CORNARIUM Emblem. 59. ad Lib. 4. Dioscor. p. m. 333., Teuf- fels-Augen vocatus. Quà Radices rufus; de quibus ante alios iterum WEPFERUS l. c. p. 230. & seqq videri meretur: quàve Semen; uti non uno exemplo, apud BARTHOLETTUM & ETTMÜLLERUM loc. cit., ut & apud HELMONTIUM Tract. de Jure Duumviratus § 22. alibiq; legendô, constitit: factumq; ex Semine Oculum; quippe quod ipsum, Auribus infusum, Mentem tentare PLINIUS l. c. scribit: Imò & quà Folia; si plura, quam tria aut quatuor, (uti ad Febrem depellendam antiqui faciebant, additô vinô, juxta DIOSCORIDEM & PLINIUM loc. cit.) assumantur: in hanc rem efficax compertus. Ulterius *Cicuta*, præsertim *aquatica*; peculiari etiam & eleganti Tractatu iterato jam allegatô, à JOH. JACOB. WEPFERO descripta: eōq; potissimum nomine, quod τῆς διανοίας θεραπείαν faciat, p. 37. notata. Quippe quâ Monachos ita dementatos, ut Anseres se esse putantes in aquam se præcipites dederint, KIRCHERUS in Scrutinio Pestis retulit. *Napellus* item, inter *Aconita* lethifera & *Lycoctona* (vide ZORNIUM Herbar. Pancoviani p. 271. & quos ibidem citat,) à Botanicis relatus: Cujus nimirum Folia comesta lethalem generoso cuidam Viro Maniam intulisse, ex Illustri quâdam Dominâ didicit TH. WILLIS., de Anim. Brut. P. 2 c. 12. p. m. 289. *Stramonium* insuper ejusq; species *Datura*: juxta Observ. G. F. FRANCI de Franckenau, E. G. C. Dec. III. Ann. III. 170. p. 302. Nec non *Lolium*, *Mandragora* aliaque hujus generis *Narcotica*, una cum ipsô Opio. Quippe quæ non tantum homines in Furorem agunt, adeò ut

„ut Dæmoniaci facti videantur; sed & aliis ex Causis  
 „ortam Maniam, teste H. LMONTIO *de Lithiasi & Libro*  
 „*Retenta*, augent plerumq;. Veluti id evidenter asser-  
 tum legimus, in *Dissert. Inaug. de Opiator. Mechan. O-*  
*perand Rat. Ao. superiore Hale edit. §. 8*: Ad quam com-  
 mode contuleris J. H. MANGOLDT *Disp. cit. §. 20.* Ex  
*Animali autem Regnō, Sanguis*, potissimum calidus,  
 non ferociorum tantum, sed & aliorum *Brutorum*:  
 (Non sine causâ ideo, & in *Mosaicā* olim *Lege*, & in  
*Novō iterum Testam̄ntō, Actor. 15. vers. 20. & 29.*, prohi-  
 bitus,) speciatim *Felis*; de quō Historiam ex WEIN-  
 RICHO §. 5. dedimus: Ipsiusq; *Hominis*, & singulatim  
*Mulierum* ille *menstruus*; maximèque, juxta PETRÆ-  
 UM l. c. §. 16., *primus*: In *Philtoris* i. e. amatoriis pocu-  
 lis, aut aliâ ratione, cum cibô & potu (quemadmo-  
 dum Historiæ BORELLI *Cent. I. Observ. 65.*, STALPARTI  
 van der WIEL *Observat. 19. Part. 1. Cent. poster. Observ.*  
*rarior.*, aliorumq; ostendunt,) haustus vel acceptus.  
 Ut & *Semen* lascivientium venereōq; œstrō percito-  
 rum Animantium: quod Philtris itidem & Aphro-  
 disiacis stimulis misceri compertum est. *Cerebrum*  
*Æluri*: De quō SALMUTH *Cent. 3. Observat. ult.* & ex eo  
 ETTMÜLLERUS *Colleg. Practic. l. c.*, pariterq; PETRÆUS  
 & MANGOLDUS *loc. alleg.*, habent. *Urina Murium*  
*majorum* sive *Glorium*, communiter (non satis recte)  
 dictorum: Quam cum Ore aperto ebrius quidam  
 Miles dormiens excepisset, altero die Manianus fa-  
 etus misere periit, per *Obs. 12. C. F. PAULLINI p. 11.*  
*Append. ad Ann. V Dec. II. Eph. Germ. Cur.* Nec non *Carnes*  
*sævientium & rabidorum*, aut ab aliis rabidis demor-  
 forum, *animalium* comedæ: similiterq; *Cibi ac Po-*

tus alii, ab hominibus aut brutis in rabiem actis, vel de illâ, propter morsum quem sustinuere, suspectis, degustati: de quibus vide SENNERTUM *institut.* l. 2.

P. 3. Sect. 2. c. 4. p. 425. Possis quin etiam *Salivam* hisce adjungere, tetric Maniacorum ac Rabiosorum, etiam Brutorum, effluviis, per Oscula, aut alia quâvis (sæpe, uti in Casibus Mulierum, vestes à Cane rabido demorfas resarcientium, & Ore futuris filisq; quibus sarciebant, improvidè admotô, penetrabile seminium asci- scientium, à WILH. FABR. HILDANO *Cent. I. Obs. 86.* & HILDESHEIM. in *Spicilegio p. 83.* relatis, admirabili) ratione, inquinatam & deglutitam. Quæ eadem familiam ducit inter vehicula Venenorum, *detira* MAN- GOLDO dictorum; perq; alias, quâm Oris, vias, interveniente morsu, vel iactu, (e. g. *Tarantularum*,) vel affictu aut contraictu quôvis Animalium, (in quibus solis nimirum, ex mentè modo citati *Scriotoris l. c.* §. 15., proveniunt) ipsorumq; Hominum, sive vehe- menter iratorum, sive rabie percitorum, aut aliâ Maniâ correptorum, (quemadmodum Torgaviæ fa- ctum esse, ut Mulier Maniaca lictorem propè axillas morderet, qui postero die, similiter ac illa, furere incepit, ETTMÜLLERUS *de morsu Viperæ* tradidit,) san- guinis corporisq; penetralia subeuntium: & alteram *Externarum Rerum* classem, quâm *Ingestis* vel *admissis* adsignavi, constituentium.

§. 13. Inter intus nascentes Res, à quibus Tin- etura Spiritui Animali inconveniens & altius pene- trans accedit, primum locum sibi poscit *Spiritus vi- talis*. Quatenus nimirum illius sive instauratiōni sive aëtuationi, per Naturæ institutum, dicatus, Præter- naturalem quandam Constitutionem, quâ Substanti- am

am præcipue, hinc & qualitates, quave quantitatem & motum, partim ex *Sanguinis*, (cujus sboles & inquibus, imò pars & flos est) sinu tractam, partim culpâ *Cerebri*, (in cuius glandulosâ potissimum, qvâm *corticofam* communiter vocant, substantiâ scaturiens purissima lympha temperando eidem aliâs inservit) contractam habet: Atq; adeò, naturali puritate, temperie & perfectione destitutus, in conjugium ipsius, *Cerebri medullam* incolentis, venit; eumque inquit & maniaco tumultui aptat. Quas proinde Partes (Principum hactenùs nomine, istam inter contentas, hanc inter continentes, appellari solitas,) protinus hic submittere; in primis autem τὸ Αἷμα τὸ ἐν Θρόνῳ, l. i. de morb. s. 28. ab HIPPOCRATE commemoratum, (quippe præ aliis omnibus partibus, eodem judice lib. de flatibus s. 20. v. 3., ad prudentiam conferens: unde, ut iterum ibidem vers. 5. ait, ἐξ αλλάσσοντος άυτοῦ, μεταβολὴ τῷ φρεόντι.) h. l. adducere; imò vero *Vitia eorundem & Morbos*, (veluti Parentes constitutionis modò dictæ præternaturalis, quæ in Spiritum vitalem cadit,) *Internis Maniæ Causis*, (quarum nulla non per se Morbus est, juxta LINDENIUM *Meletem*. L. III. §. 89.) iisq; proprius *Proximam*, quam communiter dicunt, & *Immediatam* contingentibus, statim accensere oportet. In his vero determinandis dum magnô sententiarum divortiô adhuc occupantur Pathologi, liceat mihi in eorum jam castra transire, qui non unam quidem & eandem semper, nec ratâ tamen calidiorem & ex defectu subtilioris benigniorisve lymphæ, ficiorem *Cerebri Intemperiem*; nec unum ejusdem in *Conformatione*, in primis *Porum*, quos permeare Spiritum Sangninemque oportet,

*Disputat. Inauguralis Medica,*  
 tet, nec raro nativum vel primigenium, ( qualis  
 & dicta Intemperies saepe est; utut & ascititum  
 quoque aliquando, nempe à contusionibus, vulneri-  
 bus, plagis, compressionibus atque aliis Capiti, etiam  
 ab ambiente Aëre, intentatis allatisque injuriis, or-  
 tum utrumque malum sit;) *Vitium:* *Sanguinis* verò  
 hīc delinquentem *Diathesin*, in diversis Maniacis, pari-  
 ter diversam agnoscunt. Liceat adeoq; eorum qui-  
 dem in primis favere partibus, qui, cum STRAUSSIO  
*l. c. §. 6. p. 192.*, BERGERO *Disput. cit. §. 11.*, G. W. WEDELIO  
*in Aphorism. Aphorismor. Aph. 1. ad Aph. 40. Lib. V., & Aph.*  
*2. ad Aph. 21. L VI.*, ut plurimum eam in *Massa Sanguinæ*,  
 hīc peccante, *Particularum constituentium* ~~auergetias~~  
 adesse statuunt, quæ *Calidiorum & sicciorum* (alii *Oleosas*,  
 alii *Sulphureas*, alii *Sulphureo-salinas*, aut cum WILLISIO  
*Nitro-sulphureas*, appellare malunt; WEDELIUS simplici-  
 ter *sanguinem*, stricto vocis usu, *loco priori* §. 2. *vocat*)  
*abundantiam, exaltationem & efferationem;* *Serosarum*  
 autem, sive *lymphaticarum & blandè roscidarum*, *defectum*  
 & *depressionem* infert: quamve *Bilis* nomine, (quod nec  
 recentioribus adeò displicere, testatur denuò WEDE-  
 LIUS, quando *loco posteriori* §. 5. & 6. *Sanguinis biliosi*, de-  
 liriorum autoris; & *biliosi* in *Maniâ*, præ acidô Melan-  
 choliæ Parente, dominantis, meminit: indeque *Apho-*  
*rism. 3. Maniacos inversos Melancholicos & Melancholicos in-*  
*versos Maniacos*, cum BERGERO *l. a. §. 19.*, *vocat*:) non ob-  
 scurè expressisse Antiquitatem, non temere tenens,  
 BELLINUMQUE, ex *Tr. de Morb. Capit. de Mania*, in par-  
 tes vocans, toties dictus BERGERUS *l. c. §. 12.*, Causam  
 simul suæ sententiæ non malè exponit, quando: *Bilis*  
*namq; scribit, materiam sulphureo-salinas sanguinis parti-*  
*culas præbere, & analysis ejus docet, & alias abundè evictum*  
*est.*

est. His autem errore externō & secernentium hinc viscerum, hepatis præsertim ac lienis, vitio, plus justo collectis in sanguine, & varie exaltatis, absumtoq; freno harum, lymphā, sulphuream calidam sanguinis diathesin exsurgere, quam biliosam & ex incoctā lymphā, adustam, aut ex conformatiatis sylvestribus salibus atrabilariam, cum antiquitate vocare poscis, quid impedit? Liceat verò (non obstantibus illis, quæ CARDILUCIUS l. a. illius sententiæ opposuit) & PLATERO, Occultæ Malignitatis & Veneno cognatæ Dispositionis aliquid coniscere hīc Sanguinem Tom. I. c. 3. existimanti, pollicem aliquem, cum ROLLFINCIO de Affect. Capit. C. 5. p. 8. & GODOF. MOCBIO Institut. p. 202., hisque facile acccessuro MANGOLDO, Dissert. cit., premere. Liceat quin etiam TH. SYDENHAM, aliàs exaltatam nimis & vividam Sanguinis ~~negatione~~, in communi potissimum, quam vocat, Maniā; aliàs debilitatem & vapiditatem (quo nomine Vappæ similem conditionem, adeoque spirituosa substantiæ pauperiem & spirituascentiæ defectum intelligo) ejusdem, à nimiâ & diutinâ fermentatione, in aliâ & illâ, quæ febres ferè intermittentes diuturniores, ipsius observatione, excipit, Furoris specie, obtinere putantis, (juxta ea, quæ in Append. Ann. X Dec II. Ephem. Germ. Curios. p. 190. è scriptis illius exhibentur,) sententiam amplecti: Nec non cum JOH. JAC. WALDSCHMIDT, Disp. Med. de Maniâ Marburg. Anno 1680. Edit. p. 20. & STEPH. BLANCARD. Prax. Part. I l. 15. p. m. Edit. Germ. aliisq; Recentiorum, Sanguinem aliquando fixiorem, (unde Spiritum Animalem solitò crassiorem, atq; impressi motus tenaciorem faciunt,) sed enormiter fermentantem, sive aredine & intestinō vehementi calidō motu agitatum, (uti Disput. cit. de Mechan. Opiat. operand. rat. §. 18. dicitur,) simul verò, (uti ibidem indicatur; dum Opiatorum

E

torum

„torum operandi ratio, Sanguinis, à vaporabili ipsorum  
 „sulphure nimium inflati, rarefacti, turgescens, & va-  
 „sa sua arteriosa, quibus cerebro adducitur, supra mo-  
 „dum distendentis, hinc Systolen horum convenien-  
 „tem sufflaminantis, atq; debiliorem tardioremq; sui  
 „per caput & cerebrum circuitum facientis, stagnati-  
 „onem quandam & impeditiorem per venas redditum  
 „involvere ostendit; atq; latius in *Disput. de Mentis*  
*ex circulatione Sanguinis impeditâ, Morbis nuper etiam sub*  
*Præsid. Hoffmannianô Hale habita*, sed ad manus meas  
 non dum delatâ, deduci perhibetur:) in motu locali,  
 quem κυκλοφορίαν & circulationem communiter vo-  
 camus, impeditum; aut, cum GODOFR. QUEITSCHIO  
*c. 13. P. 1.* der neuen vollständigen Arzney-Kunst eundem  
 à succô Bilis cysticæ, in conceptaculô suô per nimium  
 ardorem atrescentis, valde alcalicô, inquinatum, hinc  
 justo calidorem simul & atrum (qualem, venæ secti-  
 one emissum, LINDANO quoque visum, ETTMÜLLERUS  
*l. c. Colleg. Pract. p. 963.* refert,) redditum, lateribusque  
 vasorum, cerebri meninges perreptantium, picis  
 instar adhærentem, nec circulationi tamen suæ, per  
 medium istorum cavitatem, obstantem; (ita enim  
 accipio & interpretor, quæ Germanicâ lingua §. 3.  
 & 5. sic scripsit Autor ille: Die Ursache dieser Krank-  
 heit ist ein schwarzes hitziges Geblüthe, welches von ei-  
 ner schwarzen hitzigen Galle, so in ihren Säcken vor  
 großer Hitze erschwarzet, zu erst entsteht: Wenn die-  
 ses Geblüthe in des Gehirnes Häute Adern häufig drin-  
 get, dieselbe aufzdehnet, an die latera der Adern, sich  
 dicke als Pech ansetzt, daß gleichwohl mitten durch die  
 Circulatio kan vollbracht werden, so wird daraus Ma-  
 nia:) concipere & supponere.

§. 13. Quibus omnibus verò Sanguinis, Cerebri-  
 que

que pariter ante dictis, Morbis, quomodo à cruditatibus primarum, quas dicunt, viarum, atq; fermentis præternaturalibus, intra solidas varias Partes, præsertim in Hypochondriis positas, genitalesve utriusque sexus, fabricatis & contentis, variâq; occasione commotis, eorumq; proventui faventibus *Causis antecedentibus* aliis internis externisve, nasci contingat? ordine jam & distinctè exponere, nec vacat, nec lubet. Neq; tamen *Remotiorum*, quæ appellantur vulgo, *mediatarum Causarum*, penitus obliisci licet. Quarum adeòq; præcipuarum Catalogum aliquem, sed talem, qui, citra adjectam causandi rationem, summa tantum *quadruplicium*, communiter ditarum, *Rerum Capita complectatur*, statim subjicio. Atq; ex NATURALIBUS quidē illis, *Temperamentum præcipue Cholericum*, aut *Cholerico-Sanguineum*, vel ( BERGERI, cum antiquis hīc iterum conspirantis, judiciō l.c. §. 13.) ex hoc atq; *Melancholicō mixtum*, quod *atrabilium* vocant; *Habitu corporis minus plenō* & hispidō, flavoq; & subnigrō cutis colore, ut & iracundiā facili & magnā, atq; similibus indiciis se manifestans: *Ætatem juvenilem fervidam*, & *medium vegetam*: *Sexum virilem*: ( De quibus ex Subiecti quoq; repræsentativi, jam supra traditis, conditionibus quibusdam, colligere licet: ) *Connatam sive hereditariam*, ab alterutrō Parente, pariter Maniacō aut insigniter tamen arroganti vel iracundō, tractam, & inferos quandoq;, ( nec semper tamen ) nepotes traductam, *Dispositionem*; ( quam ex communi observatione in primis notavit, ejusq; rationem ostendere satagit, TH. WILLIS l.c.p.m. 289.: ) In *Temperamentō* tūm totius, tūm Cerebri, modō diētō, & nativā hujus, quā *Corticis potissimum poros, laxitate, aut malā aliā*

*Disputat. Inauguralis Medica,*  
 conformatio[n]e, probabiliter radicatam : Ex NON NATURALIBUS, non *Astrorum* adeò, in horâ conceptionis & nativitatis, singularem, quām ROLLFINCIUS Dissert. *V. de Affect.* Cap. p. 12. atq[ue] Ord. & Meth. cog. & cur. Man. c. II., MOEBIUSq[ue]; in *Institut.* p. 253., referunt, possum; aut Saturni cum Mercurio ac Lunâ infaustam, in genesi, Conjunctionem, ab AUGUST. EZLERO, eō nomine, quod Maniacos & Dæmoniacos faciat, in *Isagoge Physico-Magico-Medicâ*, sub Joviali *Betula*, accusatam : quām *Tempus & Aërem*, tum *Vernum*, juxta *Aphor.* Hipp. 20. *Sect. III.*, exagitandis latentibus fermentis, in primis circa medium Veris cum fabæ florent, (ut PETRÆUS ait l.c. §. 16.) admodùm idoneum; tum *Aëstivum*, præcipue circa Solstitium & calidisimis, τοῦ τὸ ἄσπον, (ut HIPPOCRATES VII. *Epidemior.* Text. 7. loquitur, i. e., interprete LINDENIO *Select. Exercit.* XI., §. 169. & 170., sub *Cane* sive *Syrio*,) diebus, quibus canes etiam in rabi-  
lem agi constat; serum Sanguinis benignum absu-  
mentem : quin *Autumnalem* etiam, morbos subinde  
æstivos procatarcticè detegentem, pariter *Aphor.*  
HIPPOCRATIS 22. *Sect. III.* notatum; & *Hybernum*, im-  
peditâ, per frigus, transpiratione, fuligines calidas,  
siccas, acres aliterq[ue]; noxias accumulantem : Deinde  
cum ARETÆO ταγλυΦαγίνη, ἡ ταλησματινὴ ἀμετρον, καὶ μέθη,  
i. e. *Cibi* patusq[ue] probi immoderatam aut liberatiorem fal-  
tum *adsumptionem*, (cujus occasione Virum litera-  
tam, Academiæ huic olim notissimum, varias Maniæ  
recidivas passum meminit EXCELL. DN. PRÆSES) &  
*Ebrietatem* : Maximè verò hanc, ceu voluntariam, quæ  
verisimè, (ut DREXELIUS in *Josepho* c. 14. p. m. 216. con-  
firmat,) SENECÆ dicitur, Insaniam; & *Vino* potissi-  
mum, illô Vitali venenô, (cujusmodi in primis, etiam  
citra

citra excessum, est fulmine tactum, cum ad primam consistentiam, dicente PETRÆO l. c. §. 16. p. m. 46., rediit; quôve adeò Maniacos factos esse constitit,) etiam Hippocratico aliôq; artificiali, nec non vini variô Spiritu aut similibus, quos Aquas Vitæ vel Elixiria vocant, Liquoribus, sæpius inductam: (Unde inter alias Maniae, sub *Differentiis Causalibus*, existentes species, quædam iterum *Oenomania*, juxta LINDENIUM Meletem. L. 3. §. 107. appellatur:) Salis item & Aromaticum calidiorum in victu, ut & aromaticarum multarum Confectionum, (quas inter speciatim *Anacardina* male audit CASP. HOFFMANNO de Med. Offic. l. 2. c. 62. Sect. 2., adeò, ut Synonymum illius, quô alias *Confectio Sapientum*, ex eô, quod memoriam juvet, nuncupata est, cum *Confectione Stultorum*, ideo, quod quosdam memoriam sibi parare allaborantes, Maniacos reddiderit, commutatum velit,) inter Veneris etiam irritamenta, abusum: Nec non improvidum, tûm *philtrorum*, (quorum jam ante meminimus) ab incautâ aut malignâ beneficâ, sæpeq; meretriciâ manu, diversimodè paratorum & propinatorum, tûm *toxicorum* quorundam, (quæ pariter supra attigimus) tûm aliâ ratione *insalubrium* aut alias vix vescorum *Ciborum*, in magnâ annonæ caritate, ceu WILLIS l. c. notat, urgente, in primis pauperes, necessitate, ingestorum, usum: (unde *Philtromaniam* iterum, &, imitatione supra auditæ *Strychnomania*, varias alias, ab eiusmodi *Causis cognomnatas*, Maniae species facere licet:) amplius *Lucubrations*, præsertim inter diurna in victu errata, (uti Juvenis ille studiosus, apud HOEFFERUM *Hercul. Medic. l. I. de Affect. Capit. c. 7. p. m. 59.*, fecit) continuatas; aliasq; dulcis *Lymphæ* deprædatrixes

trices, Bilis autem auctrices αγρυπνίας: Hemorrhoidum qvin etiam ( ex qvibus obortam insaniam ZACUTUS LUSITANUS notavit, *L. i. Prax. admir. Obs. 51.*, & ex eō ETTMÜLLERUS *i. c.*) similiūmq; Sanguinis Evacuationum, maximē Menstrui fluxus in Sexu lequiore, extra gravitatis statum; æquè & Lochiorum in Puerperis ( quās ex hāc causā, nempe ad superiora Capitis conversō lochiorum sanguine, in Maniam prolapsuras, signō Sanguinis, in mammis collecti, cognoscere, aphorismo 40. *Sect. V.*, variè aliās à variis, indicō ROLLFINCHI *p. 13.* *Dissert. V. D. C. A., & C. XII. Disput. de Mania*, explicatō, docuit HIPPOCRATES: suppressionem, nec non Liquoris quasi-seminalis, in ejusdem viri potentis Sexus glandulis genitalibus, præsertim vaginalibus, liberaliter sæpē, sub otiosā potissimum vitā, scaturientis, atq; olim pro ipsō Mulierum Semine verō ( quod Ovula Ovariorum, olim Testes muliebres putatorum, esse hodiē constat) habitī, longiorem intra receptacula sua moram; unde Furori uterino, in superioribus dicto ( cuius Exempla apud LEONUM LUNENSEM *i. c. p. m. 184.*, PLATERUM in *Observ. ad Lib. I. Prax. c. 3.*, GREGOR. HORSTIUM *Tom. 2. Oper. L. 2. Observ. 68.*, aliosq; occurunt) inter conversationes potissimum cum viris gratis frequentes, fores ferē panduntur: perinde ut Seminis in virili sexu, eā, quæ Veneri apta est, ætate, accumulationem; atq; aliorum pariter excernendorum retenctionem: quæ aliquando intempestivæ Varicum curatiōni, ( unde immanissimum olim evasisie MARIUM ferunt, ) Ulcerumq; antiquorum aut Fonticulorum consolidationi, ( à quā obortam Maniam FORESTUS *L. X. Observat. 24.* & AMAT. LUSITANUS *Cent. II. Cur. 67.*, commemorant) debetur: nec minus Retinendorum variorum immoderatam profusionem; E. g. nimi-

nimiam Seminis, sub canicularibus potissimum diebus ejaculationem: ( quam, nescio, an BLANCARDUS Pract. p. 112., durch das Beyschlaffen designet? ) In primis verò vehementiores omnes, non tam *Corporis* ( etsi & hujus incessibili, in dirigendis & explodendis torinentis bellicis, labore potius, quam sonitu gravi atq; aëris vehementi vibratione, Maniam contraxisse MANNUM quendam, de quo FORESTUS Observ. 20. l. 10. habet, velint ROLLFINCIUS c. XI. Ord. & Meth. cognosc. & cur. Man. & TAPPIUS l. c. §. 9. ) quam *Animi Motus*, sive *Affectus* vulgo dictos; qui etiam immedietè magis, dum Spiritus animalis motus extraordinarios ipsimet involvunt, ad Furoris natales subinde conferre possunt: Nempe *Iram* ante omnes, illam Maniæ genuinam sororem, adeoq; cum excandescit, facile in hanc erumpere aptam, teste GALENO 6. Aphorism. 23. , & ( quā majorem in Maniacis nullam causam esse, non male putat J. HELFRIC. JUNGKEN. Medic. præf. sec. accommod. Part. II. Sect 2. c. 1. art. 14. p. m. 783. ) adjunctam ei *Pertinaciam*: proximè *Arrogantiam*, ( quam in omni Maniâ egregiam se reperisse HELMONTIUS Lib. Demens Idea Text. 27. asserit,) *Fastum*, *Superbiæ*, *Ambitionem*, & erga eos, qui huic obstant, implacabile *Odium* ac *vindictæ Cupiditatem*: hinc *Sollicitudinem Curasve continuas*; somnum, Spiritibus recreandis alioqui dicatum, facile exutientes: porro *Metum* & *Mærorem*, hujusq; non raro Parentem, sive *tacitum*, sive *minus disimulatum*, ut plurimum *infelicem Amorem*: ( Unde inter ceteras Maniæ Species computatam habemus *Eromaniam* vel *Erotomaniam*, aut *Passionem Eroticam*: cuius mirabilem Etymologiam NICOLAUS FLORENTINUS l. c. c. 9. de *Ylischi*, Arabibus,

bus, ut ait, dictō, sive *Hereos*; Exempla verò **VALERIOLA**  
*Observ. VII. L. 2.* & ex hōc **SENNERTUS Institut. L. 2. p.**  
**m. 322.** aliique, nec non **EPHEMER.** GERM. CUR. *Observ.*  
**126. Ann. 10. Dec. 2.** afferunt: ) aut *Concupiscentiam συνειδήσ*, in non conjugatis, *ingentem: Terrorem* quin etiam à  
*Spectris, Horrorem* atq; *Abominationem* certarum rerum  
*singularem:* ( quomodo horrendō corrupti Lienis,  
sub conditurā *Illustissimi* cuiusdam cadaveris exce-  
ptō, Odore, accedente quidem largiore vini potu, in  
Maniam deductum fuisse *Chirurgum Gynzburgensem*  
*Observ. 170. A. 8. Dec. 2.* **EPHEMERIDES** GERM. CUR. com-  
memorant:) Ex **PRÆTER NATURALIBUS**, Febres præ-  
gressas acutas & ardentes, Pleuritides, Variolas; Fe-  
bres itidem intermittentes, præsertim Autumnales  
Quartanas; Epilepsias diuturnas, Phrenitides, Me-  
lancholias tūm alias tūm Hypochondriacas, Tuber-  
cula, ( E. g. in Collō; quale, suâ sponte iterum eva-  
nescens, Maniam post se traxisse, **BRASSAVOLUS** *Comm.*  
*ad Aph. 65. Sect. V.*, affirmat) *Vulnera Capitis*, ( jam  
supra §. 13. p. 31. adducta) Obstructiones Mesenterii,  
Lienis & Hepatis; Menocryphiam & Metracrasiam,  
aliorumque Viscerum Intemperies diverſas; Ulcera  
dolorosa & Abscessus, Doloresve ingentes & conti-  
nui quivis, tūm aliarum sensibilium Partium, tūm  
in Mulieribus sigillatim, ex Sanguine, juxta *Aph. supra*  
*cit. 40. Sect. V.*, ad ipsas collectō, aut Lactē coagulatō)  
Mammarum; Morsus tūm Bestiarum venenatarum,  
in primis Viperæ, Cerafastis, Dryini venenatissimi  
serpentis, tum Canum aliorumq; Animalium rabido-  
rum, ( neq; enim soli Canes, quod **GALENUS de loc. af-**  
**fect. c. 15.** voluit, Rabie affliguntur, sed & Lupis ea-  
dem & Equis, Camelisq; & Mulis, Bovibus & Vulpi-  
bus,

bus, Suibus & Felibus atq; aliis fortè Brutis eadem evenit, testibus ARISTOTELE 8. *Histor. Animal.* c. 22., SENNERTO *Instit. Med.* L. II. Part. 3. Sect. 2. c. 4. p. m. 425, &, quem is citat, JOH. BAUHINO *pecul. de Lup. rābid. libellō.*, TH. BARTROLINO *Cent. III. Epist.* p. 199., *Cent. II. Histor.* 89. & *Cent. V. Hist.* 52., ETTMULLERO *Colleg. Pract.* p. 969.) nec non ipsius Hominis, ex simili causâ Maniam, (quæ ideò *Rabies* communiter dicta est) patientis aut alias (uti antehac §. 12. p. 30. indicatum est) furentis: Vermes quin etiam & Insecta; (A quibus intra intimos Viscerum quorundam recessus absconditis, saepius fortasse quam creditur, Furorem Hominibus, æque ut Rabiem Brutis, evenire ut credam, persuadent *Observationes Excell. Dn. PRÆSIDIS, de Lupō rabiosō* in viciniâ hâc imperfecto & post mortem aperito; deque *Cane* in Rabiem proclivi, inter subiecta Anatomicâ olim ipsi oblatô: In quorum quippe Renibus Vermes ingentes comparuisse meminit, atque in *Cane* quidem dicto lumbriciformem aliquem, sed ex flavo nigrescentem atque anguis instar variegatum, minimi digiti crassitie, longitudine ferè ulnæ, qui Renem dextrum penè totum, ad extima usque & omni pinguedine destituta involucra, absumserat, se vidisse, eumque in liquore Balsamico aliquandiu asservasse, asserit:) Quippe quibus alias Cerebri, alias Sanguinis integritas diversimode labefactatur, & preventus ante dictarum Propinquiorum Causarum juvatur: testantibus Historiis, Observationibus & Assertionibus variis, apud FORESTUM L. X. *Observ. 27.*, GU. FABR. HILDANUM L. VI. *Observ. 82.*, H. AB HEER. *Observ. 3. & 14.*, WELSCHIUM in *Observ. Rumler. Observ. 51.*, RODERIC. A CASTRO, *Lib. 4. de Morb. Mulier. c. 26.*, BONETTUM in *Med.*

F

Sept,

*Disputat. Inauguralis Medica,*  
*Sept. p. 205., SYDENHAMIUM Observ. de Morb. acut. p. 102. &*  
*Method. c. 22. Febr. p. m. 90. & 91., & in EPHEM. GERM. Cu-*  
*RIOS. Observ. 37. Ann. 4. & 5. Dec. I. p. 35., Observ. 93. Ann. 6. & 7.*  
*p. 132., & Observ. 150. Ann. 2. Decad. 2. p. 336.: Ex SUPERNA-*  
*TURALIBUS denique, Cacodæmonis Satanae artes &*  
*operas; interveniente sæpè, etiam per Philtrea sagar-*  
*rum & veneficarum, incantatione ac fascinô, Supre-*  
*mi Numinis nutu & indultu, uti olim in Saule Rege*  
*t. Reg. 17., (ad quem locum vide egregiè commentan-*  
*tem JACOB. TAPPIUM l. c. §. 15. ad 19.) ita dubio pro-*  
*cul hodièque aliquando, (nec plerumq; tamen, quod*  
*puto, nec semper; quod J. H. CARDILUCIUS, ex eô,*  
*quod neminem hactenùs in inveniendâ Maniæ &*  
*Melancholiæ Causâ sibi ipsi, multò minus aliis, satis-*  
*facere potuisse, nec Frigoris illam, de quâ mox di-*  
*cemus, tolerantiam singularem, à naturali causâ in*  
*Maniacis profici sci posse credat, persuadere fatagit)*  
*Physicis ante dictis Causis (qvibus alias PARACÆLSUS*  
*Phantasmata sua, quæ illi Spiritus sunt, nec cœlestes nec*  
*infernales, in Naturâ oberrantes, & propè Homines*  
*more canum libenter versantes; aliique, omnes mor-*  
*bos cum KOZACKIO Tr. de hamorrh. Dæmoniacos faci-*  
*entes, Dæmones qvosdam accensent;) sese ingeren-*  
*tes, atque eâ, quam WILLISIUS de Morb. Convuls. c. 7. &*  
*ROSIN. LENTILIUS Ephemerid. Germ. Curios. Dec. 2. As. 2.*  
*Obs. 151. p. 334. docet, ratione immiscentes: (Unde jam*  
*pridem Dæmoniaca quædam Mania; cuius Species*  
*sæpè, si non semper, Mantomaniam & Glossomaniam, supra*  
*§. 5. commemoratas, haberi posse, facile afferenti conces-*  
*serim; meritò statuta est:) nominare sustineo. Fusi-*  
*us pleniùsque de his & similibus instrui volentem,*  
*ad SENNERTUM Med. Pract. L. 1. Part. 2. c. 15., ROLLFIN-*  
*CIUM,*

Cium, MOEBIUM, TAPPIUM, WILLIUM, QUEITSCHIUM, ETTMULLERUM, BERGERUM, loc. cit. videndos, remittens.

§. 15. Supereft, postquam ea nunc expedita sunt, unde quis Morbus Mania, quibusve, & quibus ex Causis, infestus sit? intelligi potest; ut adjectis ulterius Attributis & Affectionibus, Adjunctisq; & Connexis, nec non Consequentibus & Effectis, deniq; tum Affinibus tūm Oppositis ejus, qualis idem & quantus sit? ostendam. Sed abrumpenda est hāc hypothesum tela, ut quicquid pagellarum Specimini huic Academico destinatarum restat, Doctrinæ magis Medicæ impendatur. Quare, contractis in pauca pluribus hīc dicendis, ex Adjunctis sive Connexis hujus Mali, ea tantūm, quæ imprimis inter cetera eminent; nempe tūm Robur illud stupendum & immensum omnemq; pene lasitudinem excludens, quò non soli qvidem Maniaci, (nam & Epilepticis tale quid accidit, indice & interprete Causarum hujus Phænomeni, non indocto, ROSINO LENTILIO, Ephemerid. Germ. Observ. jam cit. 105. Ali. 2. Dec. 2. p. 236.; & in Phreneticis pariter quibusdam, ut Exemplo fidem facit PANAROLUS, Pentecost. 4. Observ. 49., & ex eō ETTMÜLLERUS Colleg. Pract. p. 269.) sed plerumq; omnes possunt: tūm δυσαρθριά, imò ἀναρθριά ferè illam admirabilem, quam quā tactum potissimum (nec solum tamen; nam & reliquos sensus, in primis Gustum & Olfactum, in Maniacis lædi, præter alia argumenta, ex eō colligere licet, quod Furiosi crudas carnes, viva animalia, propria stercore & res alijs fœdas & abominabiles, devorare, neq; fœtore gravissimō offendit, deprehendantur: yide TAPPIUM 1. c. §. 22.) incredibili vulnerum, verberum,

berum, æstus aliarumq; injuriarum, & maximè intensissimi Frigoris hyberni, (quàm rem meritò miratur, sed ad *Causam* ante dictam *Supernaturalem*, nullâ, opinor, necessitate, refert CARDILUCIUS l. c.; dùm alii Recentiorum causas illius *Naturales* non vanas ostendunt, & Exempla quoq; quamvis rariora, læsorum à Frigore Maniacorum, apud PLATERUM *Observ.* p. 82. & RIVERIUM L. i. *Prax.* c. 13., nec non in *Observat.* illius, uti ETTMÜLLERUS *Colleg. Pract.* p. 269. indicat, occurrentia, aliud suadent;) tolerantiâ testantur: tum *ἀνυπεξτανταν*, inter tot febricitandi occasionses, constantem; (quàm vel mixturæ sanguinis turbatæ, vel salis, sulphuri in Massâ sanguineâ permixti, copiæ, acceptam recentiores ferunt;) simul & *ἀγρυπνίαν* atq; *ἀστιάν*, ad septimanas sæpe imò & menses protractam; extremis quasi digitis monstro: Uberiorem de his Tractationem aliundè, nempe ex laudatô TAPPIO *aliisq; ad finem §. antecedentis nominatis Scriptoribus* petendam, Lectori relinqvens. Ex Attributis verò, non nisi *Afflictionis Modum & Magnitudinem, Durationem, Solutionem & Eventum* in oculis habens; Illius qvidem ratione, gravem omnino & reverâ magnum omnem hunc Affectum, attamen aliquem aliquo (nempe eum, qui cum risu & Jocô est, aut à Causis externis propriùs pendet, illô qui cum studiô Irâ ac temeritate multâ conjunctus est, juxta Aph. 23. Sect. 6.) leviorem, mitiorem & tutiorrem: Eundem verò etiam aliò atq; tempore, atq; sub Syriis ferè ardoribus, aut magnis aliis temporum mutationibus, magis periculosum: Ex se interim nullum lethalem: Istius intuitu, chronicum ferè ipsum & diuturnum, (tùm suâ naturâ, tûm propter ægrotum

rum inobedientiam) adeò, ut non paucos ad extre-  
mum usq; vitæ terminum comitetur: (quâ de cau-  
sâ nonnulli, ARETÆUM de Diut. Affect. l. 1. c. 6., Deliri-  
um à Mandragora & Altercô ortum, ideo quod καθίσαται  
θάτζον i. e. celeriter conquiescit, inter Species Maniæ,  
quàm τὸ ἔμπεδον ἴχεν, i. e. stabilem ac permanentem  
esse ait, computare dubitantem, secuti, cum ETT-  
MÜLLERÔ Colleg. Pract. p. 963., obortam à variis Causis  
Externis Insaniam, non Maniam adeò, quàm Affe-  
ctum Maniæ similē, vocare malunt; quibus cum nunc  
contendere non est animus:) Nec æquè tamen, in pri-  
mis cum Principiis resistitur, longum: *Horum* autem  
respectu, curatu quidem semper, (maximè cum Ra-  
biei titulum sustinet aut Dæmoniaca Mania est, tum  
aliis de Causis, tum quod ægri medendi cuivis me-  
thodo præfractè obnitantur, & sibimet ipsis Medicis-  
que infesti sint, difficillimum; magisq;, cum inve-  
teratus & hæreditarius est, humanis Medicorum  
consiliis & conatibus reluctantem; imò, cum talis  
aut aliás in Sanguine & Spiritu vel Cerebrō, quâ  
Causas suas, altius radicatus est, ut plurimum, nisi  
*DEUS & Natura ægros restituat*, dicente AMMANNO  
Parænens. pag. 188., nostrâ ope incurabilem & insana-  
bilem: atque proinde peculiaribus tantum  
Claustris, (qualia in benè constitutis Rebuspublicis,  
securitatis causâ, optimô consilio habentur, & Toll-  
häuser dicuntur,) coerceri & compesci aptum: nec  
nunquam tamen, testantibus tot Exemplis feliciter  
institutæ Curationis, medicabilem solâque morte  
delebilem, pronuncio. Ex *Consequentibus*, quorum  
quidem alia aliás, & quædam fortuitò subinde con-  
tingunt, *Varices*, *Hæmorrhoides*, *Hæmorrhagias Narium*  
F 3 & Uteri,

& Uteri aliasve, Dysenterias & Alvi fluxus Psorae &  
Exanthemata varia, nec non Salivationem spontaneam,  
Hydropem, Febres tertianas & quartanas (non obstante,  
quod §. anteced. 13. p. 40. has antecedentibus præternatu-  
ralibus Causis adscripsérím,) Ecstasis, Cranii ruptu-  
ram, eaque non infelicitate; (juxta Aphorismos Hippo-  
craticos, nempe 25. Sect. 6., & 5. Sect. 7., atque Observa-  
tiones variorum Practicorum, & sigillatim, quâ Cra-  
nii rupturam ad salutem ægri factam, RONDELETIUM  
L. 1. de cur. Morb. c. 41.) Stultitiam, Memoria lesionem,  
Tristitiam Melancholicam, eaq; tolerabiliter, cum spe  
rerum in melius mutandarum; Tusses cum raucedine,  
Convulsiones, Oculorum obfuscationes, Virium subitaneos  
lapsus, Lipothymias, eaq; plerumq; infelicitate evenien-  
tia, & ad interitum mortemq; per ipsa vergens  
malum prænuntiantia: (uti ex parte HIPPOCRATES  
2. Coacar. 24. Text. 3. indicavit, & ex eō ROLLFINCIUS  
Ord. & Meth. cognosc. & cur. Man. c. 26. ostendit, ex par-  
te ETTMÜLLERUS Colleg. Pract. p. 664. aliique tradide-  
runt:) Atq; ad extremum, ex Effectis bonæ notæ, ra-  
rò occurrentibus, Herniam Maniā curatam, juxta Ob-  
serpat. 190, Ai. X. Dec. 2. Ephemer. Germ.: Ex Affinibus  
solam Phrenitidem, solā quippe Febris à Maniā distin-  
ctam; atq; ex Oppositis Præternaturalibus) alioquin e-  
nim Imaginatio recta & constans Rationis usus Malo huic,  
illius Depravationem & Ratiocinationis Cessationem ali-  
quam, juxta superius §. 3. p. 9. & 6. p. 19. tradita, invol-  
venti, opponuntur) Delirium triste, Stupiditatem & In-  
ertiam: hic commemoro.

PARS

## PARS ALTERA.

*Dogmata propriè Medica exhibens.*

## SECTIO I.

*Rationem Cognoscendi & Præcognoscendi Maniam ejusq;  
Originem & Conditionem, tum præsentem tum futu-  
ram, hinc Prædictionem instituendi, tradens.*

## THES. I.

**I**mminens Mania sui notitiam insinuat, per Capitis potissimum & speciatim Oculorum, quibusdam haud obscurè rubentium & sanguine suffusorum, Palpebrarumq; inconstantem nimis & nimis frequentem motum, seu vibrationem; nec non mutatos à solitō alios hominum Affectusq; Moresque: per Insomnia item terribilia atq; insomneitatem, subinde, sine causâ manifestâ, pertinacem; ut & per Cephalalgiam vehementē, aut longam saltem καρκασίαν: per Splendores varios, sæpe instar fulgurantis Ignis apparentes, inanesq; Imagunculas, sive noctu sive interdiu oculis obversantes: per Pavores veluti instantis Fulminis, aut ex improviso obvenientis cujusdam gravioris Casus: per studia certis & ut plurimum peregrinis rebus incessanter dicata: Aliquando per Auditus excellentiam Auriumq; tinnitus crebrum, & Sonitum quasi Musicum: per Stridorem & collisionem Dentium minus familiarem: per Appetitum assumendorum Alimentorum auctum, avidumq; eorum usum: Quin etiam in iis, quibus vel ætas vel aliud nihil obstat, per promtitudinem adres Venereas & sæpè Onirognum. In Mulieribus insuper per Sanguinem ad mammae, puerperii potissimum tempore, collectum. Quarum rerum, alias quidem

quidem ipsi Medicō cum ægrō moranti advertere, alias tum ex eorum, quibuscum æger conversatur, tum ex ipsius, sive spontaneâ, sive ad convenientem (qualem generalia Artis præcepta docent,) requisitionem factâ, relatione intelligere licet.

*Explicatio.* Nimirum, si quis placidus usque hūc & tranquillus, sedatiore & ore & animō, & dicere & facere res suas suetus, à solitâ suâ indole ita desciscat, ut protervus, temerarius, audax, loqvax, contentiosus & iracundus evadat, Odium erga hunc aut illum singulare testetur, aut Cachinnos intempestivos, nullâ occasione datâ, edat: Si quis humiliter & modestè de se tum sentire, tum loqui solitus, Ambitionem jam & Superbiam, vultu, voce, gestibus, vestibus prodat; Honorem Cultumque sibi severè postulet, magna molimina & opera jactitet: Si quis sobriè & castè alioqui vivens, impudicus & verbis & factis observetur: haud vana de instantे Maniâ suspicio est. Eaque robur facile acquiret, tūm reliquis, quæ in Thesi diximus, tūm aliis, quæ de Causis mox dicentur, compertis.

*Ratio.* Sunt enim istiusmodi Phænomena partim ab iisdem, à quibus Mania oritur, Causis; partim ipsarum Causarum, eandem excitantium, rationem habent: Quemadmodum hoc quidem ex antecedentibus evidens est; illud ostensu, si per institutum liceret, facile foret.

*Confirmatio:* Confer, quâ Oculorum motum vagum & varium, Maniam antecedentem, magnum HIPPOCRATEM in Coac. Prænot. Tex. 2. vers. 245; deq; Stridore Dentium eundem ibidem vers. 151., ut & Prognost. Text. IV. Lib. I. vers. 4: Quâ promptitudinem ad res Venereas, & Seminis in somno Effusiones, sive Pollutiones nocturnas, D. A. ab ALTONI MARI Art. Med. c. 8. p. m. 62., &, qui sua ab hoc accepisse videtur, LEONUM LUNENSEM, Loc. in Part. prior. cit. pag. 185., & CHRISTOPH. à VEGA de Art. Med. L. III. Part. 3. C. 15. p. m. 315. Quâ cetera, tūm modò dictos, tum EUSTACHIUM RUDIUM L. supra cit. fol. 28., SENNERTUM Præx. L. I. Part. 2. c. 15. p. m. 415., TAPPI-

TAPPIUM l. c. §. 25. & ROLLFINCUM O. & M. Cur. Man.  
Cap. 16.

II. Præsentem Maniam deprehendas haud difficulter, tūm ex præsenti Insania furiosâ; tūm ex Robore insolitō & ingenti, nec non ἀναγνοσίᾳ, quā variōs sensus externos, notabili, ἀγρυπνίᾳ diuturnâ, aut ἀστικίᾳ longâ: tum ex Temperamentō cholericō, Ætate florente, Dispositione hæreditariâ, Febre autumnali chronicâ, similibusque Rebus: tum ex Similitudine, quām æger cum Ægris aliis, qui Maniaci habiti sunt, habet.

*Explicat.* Si nempe Delirium ingens, sine Febre, per diversos tales absurdos actus, quales supra §. 5. Part. Prior. recensui, magnâ cum audaciâ se prodat: Si ad prodigium robusti ægri sint; fores, muros, vincula effringant, verbēra & multorum validorum Virorum nisus elidant & eludant; jejuni insomnesq; degant, aëris quascunq; injurias & Frigus præsertim Hybernum citra ullam aut insignem noxam ferant, vel promiscuè quævis, etiam cruda & aliæ abominabilia, devorent: Si e. g. luxuriosè aut aliæ inconvenienter vixerint: Si ambitiosos aut in amore infelices esse constet: Si Parentes eorum Maniaci aut alioqui arrogantes fuerint: Si rerum aliarum, vel naturalium vel non-naturalium aut præternaturalium §. 13. distinctius expicatorum, aliæ atq; aliæ præ oculis sint: Si similes hîc mores motusve, quales in aliis, quos Medici morborum periti pro Maniacis habuerunt, observasti, advertantur: non est quod de præsentia Maniæ dubites.

*Ratio.* Sunt enim, hæc uti ex Part. Prior hujus Disput. abunde constat, partim de Essentiâ Maniæ: Siquidem Delirium cum Furore, Febris expers, Maniæ uni soli & semper adesse solet; Pathognomicum adeo Criterium constitutens: partim Adjuncta ejusdem, inseparabiliter ferè ei connexa: partim ad productionem illius diversimodè, ceu

G

Causæ

Causæ, concurrunt. Unde, ut & à Similitudine, Diagnostica Affectuum Signa petenda esse, generalibus Medicinæ Dogmatibus docemur. Vid. ROLLFINCIUM in *Conf. Med.* pag. 25.

*Confirm.* Cumque eandem doctrinam, qvam Thesistis hæc ejusque Εὐθεπεῖ exhibit, pasim & unanimiter teneant, quotquot Διάγνωσιν nostri Affectus docent; plura in βεβαιώσιν. ejus h. l. afferre, non opus est.

III. Distingues Maniam ab affini & cognatâ *Phrenitide*, per *Febrem absentem*: à *Delirio* verò *Melancholicō*, per præsentem *Audaciam*, *Ferociam* & *Iracundiam*.

*Explic. & Rat.* Phrenetici enim omnes febricitant: Maniacos autem, quatenus tales sunt, febre carere constat ex Hypoth. quas §. 3. 4. & 6. Part. 1. exhibui. Ex quibus cum pariter evidens sit, Melancholicos deliros vana varia metuere, animoque exinde angi; cum è diverso Maniaci nihil facile metuant, nihil non audeant & intrepidè aggrediantur: pluribus & cumulatis aliorum testimoniiis fidem facere dicto supersedeo.

IV. Species Maniæ varias inter se facile distingueret licebit, formaliter potissimum cujusque ratione: Nec non alias certò Subiecto, alias Causis ejusdem veris perspectis.

*Expiicat. &c.* Etenim ἀπὸ τῶν ἐνεόντων κατὰ τὸν τῆς γρίας λόγον, i. e. ab essentialiter cuique Affectui inherenti-bus, Diæretica quoque Signa petenda, monent Institutio-nistar: Quæ multo certiora esse, si Subiectum & Causa quoq; innotuerint, extra controversiam est. Sic e. g. *Orchestromaniam*, §. 5. Part. Prior. dictam, ex insanâ saltandi & choreas ducendi libidine, atq; ictu Tarantulæ, de quô ibidem §. 9. mentio facta est, advertas. Quippe quorum illa Essentialis ejus Conceptum, hic Causam frequentis-simam constituit. Sic κυνανθρωπίαν canini, λυκανθρωπίαν lupi-

Iupini mores, fusiūs dicta §. 5. explicati, deteguntur. Et observatā ingenti ac impudicā Veneris concupiscentiā, perspectāq; ex Mensium obstruktione Liquorisve quasi-seminalis diuturnā retentione, Uteri & Genitalium Muliebrium Affectione, *Metro - vel Nympho - Mania* seu *Furor Uterinus*, haud ægrè intelligitur.

V. *Subjectum* verò *Causale*, uti simul cum *Causis*, nullo negotiō, observatur: Ita has quidem, si *Internæ* fuerint certius cognoscere volens, instructus sit, oportet, notitiā Signorum eorum, quibus singulas sese detegere, passim docent Semiologi: Si *Externæ* fuerint, vel prudenti σοχασμῷ eas assequi; vel ex Observatione, tūm earum Rerum, quæ circa ægros, aut ab illis fiunt; nec non memoriā eorum, quæ gesta sunt: vel ex relatione aut sponte aut ad quæstiones diversas factā, discere licebit.

*Explic. & Rat.* Sic, quod *Subjectum* concernit, cognitā, inter Causas, *Passione Hypochondriacā*, *Ventriculum* & annexas Partes, ceu Nidum illius, præcipue affici, in pròmptu est, colligere. Quod *Internas Causas* concernit, meminisse, oportet illius, quod §. 12. *Part. Prior.* dictum est ex LINDE-NIO: Nempe earum nullam non per se esse Morbum. Quos singulos distinctè cognoscere, cum suis locis docere satagant Semiotices specialis Doctores, hi consulendi. Mihi Exemplum aliquod adducere sufficit. Ita *Seri* in Sanguine *defectus* Maniam facere deprehenditur: si constitutio Corporis sicca & arida, si sputa pauca, si fitis crebra, somnus exiguis, sudor multus, vel Causæ aliæ *Lympham Dulcem* absumentes, *Bilem* vero augentes, e. g. Vini & Aromatum abusus, Lucubrationes, Ira, cumulati Labores. &c, deprehendantur. Similiter, quod *Externas* concernit; De *Philastro* e. g. prudenter suspicari possis: attentā vita ægri prægressā, & conversatione cum Personis, meretricias propter artes, suspectis. De *Morsu Canis rabidi* certior fies, tūm ex præ-

senti *Hydrophobia*, cum mordendi desiderio conjunctâ, tum ex relatione, si æger ipse eâ defungi fortassis non possit, amicorum aliorumque, qui circa ægrum versantur. A *Supernaturali* autem *Causâ* ortam *Dæmoniacam Maniam*, cui Satanicæ sese Artes immiscent, his maximè Indiciis cognoscas & ab aliis discernas. Ægri, qvæ supra humana potestatem sunt, agunt, linguis peregrinis & quas nunquam didicerunt loqvuntur, (quanquam MARCUS MARCI & cum eô ETTMULLERIUS *Colleg. Pract.* p. 964. etiam naturale aliquid facere posse hoc Phænomenon velint,) futura prædicunt, sæpe per Vomitum particulas ferri, globos plumbeos, pulverem tormentarium, frusta lignorum, animalia viva & alia, quæ naturaliter in homine generari non possunt, aut antea non ingesta sunt, ejiciunt. Cujus rei Exemplum habes apud HILDESHEIMIUM, *Spicileg. 2. p. 286.*, in dicto SENNERTI, *Praxeos l. c.*

VI. Cognitâ Causarum Conditione & Efficaciâ, Maliq; ipsius majori aut minori vehementiâ, nec non Ægrilndole perspectâ, quid sperandum sit de Morbi Duratione, Curatione & Eventu? judicare in proclivi est. Nec verò facile, præsertim ubi Internæ Causæ validæ sunt, facilem cuiquam Curam promittes, memor eorum, quæ Part. Prior §. ultim. exposita sunt. Ast si recens Infania, si cum Risu & Jocô sit, si lucida quædam Intervalla habeat, si ab externâ Causâ mature profligatâ originem ceperit, meliora sperabis, Atque similiter, si Hæmorrhoides vel Menses ante aliquandiu suppressi rursus fluant, Varices superveniant, Nares sanguinem liberalius stillent, Ptyalismus spontaneus fiat, aut Dysenteria (non tamen maligna, quippe propter acerrimam acrimoniam Humoris corrodentis, in Gangrenam ferè desinens, dicente ETTMULLERO l. c.) vel Hydrops, (nec is verò periculo vitæ semper vacans) aut Scabies, vel Febres intermittentes benigniores accedant, Alvus mollior & laxa sit; Naturæ favore sublevatum iri Medicas operas, adeò non dubitabis: Spemque ideo obtinendi de pertinacissimô hoc

Affe-

Affectu alicujus Triumphi, eâ, quæ aliâs circa Prognosin tenenda est, Cautione, Ægrotantis amicis facies. Sicut è diversô, cum Alvus dura est, cum Ægri inobedientes & refractarii sunt, à magnô tumultu mox blandos ac tractabiles sese exhibent, Appetitus planè prostratus est; cum ulcera in Faciè, Ano Pedibusque enascuntur; cum, clementi quamvis Anni tempestate, nihil Furor remittit: suspecta tibi meritò & dubia ægrotantium res erit. Posfis- que, ubi per longas Deliria neverfuerunt moras, de Stulti- tiâ demum superventurâ, in primis si post Autumnales ali- quas Febres Malum hoc evenit, suspicari & prædicere. Mortem autem (quæ Casu ejusmodi ægris, sibi ipfis violen- tas manus inferentibus aut in Vitæ pericula se conjicienti- entibus, sæpè evenit, nec sub prædictionem cadit,) ante por- tas expectantem intelligere & indicare licebit, si Raucedo cum Tusfi, si Convulsio cum Amaurosi, si Apoplexia acci- dit, aut ex longô jejunio & somni exiliô vires denique fa- tiscant & concidant.

Pro cuius Theseos Illustratione & Confirmatione cum plura affer- re chartæ augustia prohibeat, videri interim, quæ ad illius explicationem & certificationem faciunt, velim apud ROLFINCIUM O. & M. Cur. Man. c. 25. & 26. & TAPPIUM L. c. §. 27.

## SECTIO II.

*Medendi Methodum & Operationes Medicas, ad Manie Cu- rationem suscipiendas, breviter explicans.*

### THES. I.

**C**um contrariâ Generationi viâ Solutio omnium Morborum contingat; solvi quidem Maniam suâ operâ volens Medicus, in eum in primis scopum collimabit; ut Spiritûs animalis immoderatus & inordinatus Motus, ad Modum & Ordinem convenientem, reducatur. Quod ut fiat, tum Spiritus ipse, nimiùm elatus & efferatus, utcunq; vel demulcendus, vel coercendus & deprimendus; sive Ani- ma

ma, ut WILLIS ait, Corporea, à Fastu & Efferatione suā dejicienda: tum peregrinā Tincturā coloratus melioribus aliis Ideis, quæ priores profligent & dissipent, omni ratione imbuendus est Demulcendo Spitiui aliàs Musica apta est; aliàs alia Paregorica requiruntur. Coercebunt supprimētque Elationem Spiritus, simul & profligatis incongruis Ideis, alias in eo aliquas excitabunt, tum Terrifica quævis & Dolorifica etiam Molimina, circa ægros suscepta: tum validæ & copiosæ, non sine impetu factæ, Sanguinis aliorumq; Humorum Evacuationes: quippe insignes aliqui mutationes inferre Spiritibus solitæ. Terrebuntur ægri, tum asperiore Disciplinâ; minas, vincula, verbera involente: tum submersione non levi in aquam, ab aliis ideo non temerè commendatâ: tum aliis fortasse variis modis. Dolorem iisdem, cuius aliàs incuriosi & negligentes sunt, innoxium conciliabunt Operationes Chirurgicæ variæ, nempe Salivatio Mercurialis, Cauterisatio, Vesicatio, & Apertio digitorum Paracelsica, ipsaqve, ex aliis etiam causis prodesse potens, Castratio. Evacuationes Sanguinis copiosæ, ad animi subinde deliquium, fient tum Arteriotomiâ, tum celebratissimâ in hujus mali Curâ Venæsectione, crebrò institutâ: nec non Hæmorrhoidalium vasorum freqventi apertione. Aliis humoribus æbescens educendis, & Spiritus simul lascivientis impetui cohendo proderunt, aliàs Vomitionis, tantoperè pasim prædicatae, concitatio, aliàs Purgatio per alvum, atq; iterum Salivatio. Nec minus verò Tinctoria peregrina Spiritui animali altius inhærens delebitur, partim profligatis & ener- vatis tum assumptis, tum ingestis aut admisisis, sive venenatis, sive utcunq; incongruis, Externis illis Rebus, quas Part. I. §. 12. recensuimus: partim Spiritu vitali imperfetô, ineptô & impurô, integritati suæ restitutô. Profligabuntur assumptæ illæ, si adhuc intra Ventriculum hæreant, non aliâ commodiore Viâ, quam Vomitione iterum institutâ; Sin Ventriculi limites jam excesserint, Subductio-

ne

ne per alvum , exclusione per Diuris̄in aut Diaphoris̄in : Ingestæ verò aut admissæ Scarificatione , Cucurbitularum cum multâ flammâ applicatione, Rubificatione similiq; extractione. Enervabitur vis earum tūm deleteria omnis, tum exagitandi Spiritum Animalem, usu Alexipharmacorum, tam communium, quām cuique specificorum. Restitu- etur integritati suæ atq; eam iterum Conditionem ac Con- stitutionem, quā ad instaurandum ac actuandum Anima- lem Spiritum aptus esse posse, acquiret Vitalis Spiritus; tum Cerebrō ad justam Temperiem, variis non tantūm fo- mentationibus, sed Cauterisatione etiam ac Trepanatione ab aliquibus, reduc̄tō; malāque ejus Conformatio- ne, unde- cunque contractā convenienter emendatā: tum Sanguine, Materiam hactenūs inconvenientem illi præbente, ritè cor- rectō; aut, si longior per correctionem via videatur , cum meliore, aliūs nempe Hominis sani aut mitioris Bruti, (Trans- fusione in vasa ipsius, simul deplenda, deducendō) per- mutatō. Corrigetur Sanguis, si vivida nimis illius Crasis fu- erit, non aliā viā feliciūs, quam liberali iterum illius E- missione, sive Venæ Sectione, & Catharsi forti: si fixior & viscidior aut vapidus & ad spiritu ascentiam ineptus fuerit, dilui- tione attenuatione, liquatione, (etiam per Mercuriale in- terdum Salivationem) subtilisatione & volatilisatione : si ebullitionem simul concipiatur , imminutione & subtractione potissimum, maximèque per Venam sectam : si siccior & calidior, efferatarum sulphurearum, aut salino sulphurearum Particularum abundantia, serosæ vero roscidæ humiditatis inopiā aut dulcis Lymp̄ha defectu laboraverit; hujus Conserva- tione atque auctione; atque adeo ἐνεργήσῃ ipsius simul ac totius Corporis, non minus quām Capitis Cerebriq;, hu- mestacione: quæ repetitā quoque Sanguinis Missione e- gregiè præstatur & juvatur : Illarum autem obtusione, sub- actione, contemperatione, & per Vomitum (præfertim ubi Cystica retorrida & atrescens Bilis ex hypothesi Queitzi- ana peccat) aut, Cholagogis & Melanagogis præcipue in- stitu-

56 *Disputat. Inauguralis Medica,*  
stitutam, Purgationem, nec non per Urinæ quandoque aut Sudoris Vias, exclusione. Non neglectâ quidem *Causarum Remotiorum*, quæ Sanguinis sive hanc sive aliam, ex jam dictis, Constitutionem juvant, aut *περικαταρχητικῶς* utcunque Maniæ generatio ni favent, sollicitâ remotione & extinctione. Cuius ergò, quām varia moliri Medentem oporteat, cum Disputatione explicari non possit; absit, ut amplissimum hunc Doctrinæ, per Universam Medicinam diffusæ & vix magno Volumine absolvendæ, campum ingrediar.

*Explic. & Confirm. De Terroro per Disciplinam quæ dixi,*  
à WILLISIO confirmata habebit, quivolet. Quippe is pro sanandis Maniacis nihil efficax magis aut necessarium esse scribit, quām ut illi quosdam quasi terrores usq; formident ac revereantur: Unde furiosos nonnunquam citius per supplicia & cruciatus, quām Pharmaciâ & Medicamentis curari afferit. Disciplinam verò ad Officium Medici propriè non spectare censens, littem interim nemini intendero, sicubi non illam minùs quām alia, quæ circa Ægros fieri solent, directioni Medentium substare contendat. Sæpe enim haud parùm hîc peccari, atque Maniacos remissius insanientes, qui blanditiis fortè & monitis minùs severis melius regerentur, præter necessitatem duriter admodùm tractari, indeq; magis exasperari & in graviorem quandoque furorem, intercedente magnâ indignatione, agi, non est, quod contra Experientiam diffitear. Et possent sanè diversa de rectâ illius administratione ac Instrumentis variis moneri. Quæ silentiô nunc involvens, id unum tantùm affero: quod eximus & mirus, præ ceteris flagris, *Betulinarum Virgarum* in coercendis ægris hîc usus sit. Eas enim magis, quām ancipites Gladios, validos Fustes, & mortuos Plauti Boves, Fabasq; aut Scorpios, (à PAULINO *Observ. 2. p. 129. Append. ad An. VII. Dec. II. Eph. Germ. Cur. explicatos*) metuunt. Quam in

in rem conferri velim, præter ROLLFINCIUM c. 31. *Disput. de Mania*, AUG. ETZLERUM in *Isagoge supra p. 36. cit. l.c. & JOH. HELF. JUNCKEN loc. p. 39. allegat. p. 783. & 784.*

De Submersione in Aquam, maximè marinam, jam tum à CELSÒ L. 5. c. 24. ad *Hydrophobiam* commendatâ, plura HELMONTIUS Lib. *Demens Idea præcepit*, & §. 44. & seqq. illius Exempla habet. Verùm non semper felici eventu eam succedere, ex CONDROCHII L. 1. de *Hydrophobia* c. 5. monet MANGOLDT l. c. §. 31.

De Cauterisatione diëtis lucem rursus accendere poterit ROLLFINCIUS *Disput. de Mania* c. 30. Ex quô pariter, tum Cap. seq. 32., tum *Dissert. V. de Affect. Cap. p. 23. & 24.*, discere licet, violentam, quam ipse vocat, & continuis sanè tormentis ægros divexantem, *Digitorum*, quâ apices ipsorum, alioquin maximè sensibiles; aut hâc non sufficiente, *Centri Capitis*, per *Vesicantia & Corrosiva singularia, apercussionem: Tr. 2. de Morb. ament.* à PARACELSÔ propositam.

Quem ipsum THEOPHRASTUM si quis, tum loc. cit., tum l. 1. de Orig. morb. ex tribus prim. Princ. c. 4. consulat, de toties laudatâ *Sanguinis Missione*, in primis per *Vene sectionem*; nullus dubitabit, quin pluribus nominibus utilis sit. Gehet an/ scribit, ille, in Mania: was hilfft da? Als alleine seine (scil. Maniaci) Adern auffschlagen / so genist er. Das ist sein Arcanum, nit Campfer / nit Nenuphar, nit Salvia, nit Majorana, nit Clysteria, nit infrigidantia, nit das/ nit dis / sondern Phlebotomia. Et priori loco: Da ist zu mercken / auch daß etliche Adern sind / die da sollen geschlagen werden und eröffnet. Und begiebet sich viel/ daß durch solche Lässe die Mania weicht. Aber wir thun hier keine Rede davon / und daß darumb / daß es gemein am Tag ist und liegt. Adeò pervagatæ notitiae rem esse existimavit jam suo tempore, *Vene Sectionis in Mania utilitatem*. De quâ proinde ex PLATERO, SENNERTO, RIVERIO aliisq; Practicis, (nemo enim ferè non illius meminit) plura

H

affer-

afferre supersedeo. Priora tamen PARACELSI verba cum grano salis accipienda esse, ita ut Medicamēta nominata, quā quidem etiam juvare possunt, citra *Vene Sectionem* nihil prodesse dicat; non malē monet JOH. CONRAD MATTHIS *Dissert.* *Inaug. de Mania, C. ult. Sect. I.* Ego quoad posteriorā hæc: Quod notabiliter dixerit Autor, etliche Adern: Plures scilicet Venas secandas esse indigitans, fortè & certas: E. g. Fron-  
tis, de quā passim scribi advertas, Salvatellam in Hypo-  
chondriacis, Saphenas in Mulieribus &c. Item; Es be-  
giebt sich viel: Nam aliquando etiam frustra Phlebotomiam  
fieri indicaverat *Tr. I. de Morb. Ament. C. 2. scribēs.* Es begibt sich/  
dass etwan das (de Causâ, quam ipse statuit supra *Part. I. §. 7.*  
*p. 21.* indicatâ, loquitur) allein im Blut ist / und so diesel-  
ben Adern recht gelassen werden/ so kommt dieser Spiritus,  
der da distilliret ist / heraus: So aber das nicht in dem  
Blut distilliret wäre / sondern im ganzen Haupt umbge-  
ben wäre / so hilffet keine Lâse.

*Castrationem* suadere non dubitavit FEL. PLATERUS,  
laxum etiam & humidum eâ Corpus reddi, non sine Ex-  
perientiæ in Eunuchis suffragiô, asserens. Eamq; cum suc-  
cessu administratam leges apud RIVERIUM in *Obs. Comm. 22.*  
*Nempe in Adolescenti Maniacô*, cui nec *Trepanatio* ( ab  
ANT. GUAINERIO *Tr. 2. c. 9.* proposita, & à ROLFINCIO *I. c.*  
*c. 31.* probata) profuit, nec *Arteriotomia*. Quam alioqui M.  
A. SEVERINUS *Chirurg. Effc. Part. II.* in temporibus à se ad-  
ministratam magni æstimat: sed difficultatis nonnihil ha-  
bere, nempe nec facile nec tutò satis, quā deligationem,  
fieri posse, alii arbitrantur. Hæc verò etiam *Hemorrhoidali-  
um Vasorum*, in extremo Intestino recto, *apertioni* subest.  
Quam tamen per *Hirundines*, (quas Capiti etiam, præcipue  
Syncipiti, post largiorem, è Venâ Cubiti, Sanguinis detra-  
ctionem, circulatim admoveri, & Venæ frontalis Sectio-  
nem sic compensari posse, LEONHARD. FUCHSIIIS putavit,  
*L. I. de Medend. Morb. p. m. 109.*) aptissimè instituendam, post  
alios

alios multos, confirmavit QVEITZIUS *Prax. L. c. p. m. 75.*: singulis octiduis [quod in lucidis intervallis fortasse, non minus quam in Præservatione, licebit] aliquoties repetendam censens.

Alias Operationes alii laudarunt: De quibus plura hōc locō tradere prohibeor.

II. Quā ratione cum plurima quidem, in Therapiā non minus quam in Prophylaxi Maniæ, agenda veniant, præcipuas tamen *Operationes*, quibus perfici illæ posfunt, habere licebit, *Vene Sectionem*, *Vomitus Concitationem*, *Purgationem*, *Spiritus Animalis Vitalisq;*, nimis elati, *qualemcumq; blandiorem Sedationem & Serenationem*, *Sanguinisq; plerumq; fuscioris in Cerebrō totoq; Corpore Humectationem*: nonnunquam verò & vapescētis illius τανευμάτων: deniq; *Venenatarum quarumcunq; rerum*, quæ vel assumtæ vel admisæ sunt, per *Antidota* cuiq; convenientia, *Oppugnationem & Extinctionem*.

De quibus singulis, quanti Practicis fiant, quorum calculis comprobatae, quomodo exercendæ, quibus Cautionibus Mediisque aut Instrumentis expediendæ sint? instruere Lectorem, atque in primis *præcipua aliquot Præcipuarum hærum Operationum Instrumenta*, ex triplici, quem vulgo faciunt, *Fonte hausta*, sub Sectione novâ & Tertiâ jam disposita, proponere cupiens, abstinere eâ ope-râ, Metu nimiæ prolixitatis, jubeor. Postquam enim in tot pagellas, præter opinionem, excrescere hoc Specimen contigit, respiciendus tandem FINIS.

Eum quisquis Medicorum, tum in Maniæ Curatione, tum in Labore quocunq; suō, sibi proximoq; felicem exoptat; nunquā, necesse est, Divini Cultus, devotarum Precū & Δοξολογίας debitæ obliviscatur. Quod ipsum & mihi scriptum putans, quemadmodum in Exordio hujus Dissertationis, piô Spirio

spiriō Summi Numinis opem imploravi ; ita, eandem hac te-  
nus expertus, gratias nunc, sub Exodium, Corde & Ore,  
humillimas, maximas, ψυχιατρῷ nostro Benignissimo dico :  
Pecorque submissè ; Ut quæ deinceps in praxi Medicâ se  
mihi agenda offerent, ea omnia, imò omnia mea Mo-  
limina, ita dirigat, ut cedant mihi commodo,  
Proximo saluti, atque ante omnia  
ipsius

JEHOVÆ HONORI GLORLÆQVE  
PLURIMÆ !

